K Academies &c
1213. e. 13

IVSTA 4

OXONIENSIVM.

2. Reg. 3. 38.

Nùm ignoratis quoniam Princeps & Maximus cecidit hodiè in Israel?

LONDINI
Impensis *Iohannis Bill.*
1612.



Εἰς τὴν
ὑπερφυᾶ τῶν ἁπάντων
ΕΡΡΙΚΟΝ
ἀρχοῦλα Ουαλίας,
καὶ τὸν
ΙΑΚΩΒΟΥΛΑ
φῶς τῆς μεγάλης Βρεττανίας Βασιλέως ἐν ὑπερτάτῃ
καὶ ἀριστῇ τιμῇ. (ὡς γε ἀνδρῶν φωτὶ ἁρμόττει)
διακείμενος, ἀόρῳ διαδόχῳ ἐπι-
τέτευκτο.

Σκίνθ᾽ ἁμετέρη πεσὼν τὰ μάτια λαμπρὰ,
Ὦ παγκάλλιστα, γόνυ φαίδιμε καὶ λευκόπυγε.
Ζόλυ ἀ᾽ ὑ κοιμεῖσν τὰ ὦμ᾽ ἄξια. πῶς μαίνεις
Ὅλβον ἐμὸν γαῖαν οὐ δὴ λυμαίνῃς
Δυσεβέων παίδευσι τὰ δίκαια. ἁμετέρη δὲ
Πάμμακαρ ἀκ γαστὸς ἐς σὸν ἄξιε πῶλ.
Διογενὴς γαστῆρες ἐμὲ λάχον ἠνεμόεντα
Μῆρα, καὶ ἀδαπάτους καὶ μαρμαρέους φλυκ.
Ἡδύσεις ἀντέλιπτε ἐμὲ δαμῶν γονῆϊ
Εὐσεβίαν, σοφίην, ἰσχύην, ἀρετὴν.
Οὐδ᾽ ἀφ᾽ ἀθλεύοις χάεσι πῶλον ἄμμορον. ἦν μοι
Ἔξοχα ἔνεστ᾽ ἰφθίμω, ὄξεχα ἔνεστ᾽ ἰφθίμω.
Στίρχθιον ἀλλοδαποῖσιν ἀναξὶ τε καὶ Βασιλεῦσι,
Στίρχθιον ἐνδυκέως Βρίτοσι καὶ Σκύτοις.
Στίρχθιον πᾶσι βροτοῖς. σὺ δὲ μὴ μεταίρεο ἑαυτὸν
Ἡμετέρης σπίθεσθαι Ουαλὸς ἀρχομένου.
Ἀλλά με ἀδάπαλ᾽ πολὺ δὲ πλέον, ἢ βροτοὶ ἄνδρες,
Στίρξε ΘΕΟΣ, βροτὸν ἀφύσσας ἐν βίοτον.
Τῷ καὶ ἐφ᾽ ἁρπάζῃς ἐμὸν πόρον ἔλθον, ἄωρ
Ἀρπάξεις, μεμάρεσσι μὲ ἐγκατέχοις χθών.

I. SAACVS CASAVBONVS
manuscr. ponebat.

VETERIS BRITANNIÆ PLANCTVS FVNEBRIS AD SVVM PRINCIPEM *Henricum defunctum.*

Vortiger, Arthurus, Leolinus, Brennus, & Vther,
Numina virtutis magnæ fuere meæ!
Hisce HENRICE mihi vixisti charior; inde
Post tua, me grauius, funera, vulnus habet.
Vixi mæsta diu, belli concussa furore,
Tristior in toto, vix fuit orbe, locus.
Læta dies tandem fulsit, dominantibus Anglis;
Tutior in toto, vix fuit orbe, locus.
Hostes attriui, Naturæ viribus audax:
Nullus, quem timui subdita, victor eras.
Per te sperabam fidei clarescere lucem,
Iam noctem patior (Te moriente) nouam.
Sperabam veteres in te renouare triumphos,
Et *Roma* diros vi remouere dolos.
Sperabam virtute tuâ protendere fines,
Spes mea languescit, Det meliora Deus.

IOHANNES WILLIAMS *Theologiæ Doctor & Professor publicus.*

CRudeles nimium Parcæ, nimiumq; secundis
Aduersæ rebus, quæ vos tam dira libido
Cepit? vt illustre, & nostro caput Orbe secundum,
Morte immaturâ iaceat nunc lumine cassum?

Sed quid ego incuso Parcas, & nomina vana?
Causa patet, cur nos Magnus Deus hacce malorum

Obruerit

Obruerit Lerna: cur ſpem ſurgentis Iuli
Abſtulerit, mediamq; diem cum nocte profunda
Miſcuerit, luctuq; omnes involuerit atro.

Heu heu, noſtra nimis ſcelerata atq; impia vita
Ingratiq; animi, & ſemper male grata reposta
Gratia pro meritis, murmurq; & ſeditioni
Proxima corda hominum, Diuûm Numinis iras
Accendêre graues: Hinc tantũ vulnus adactum
Imis viſceribus Regni, quod ſera Nepotum
Ætas eſt ſenſura diu longumq; dolebit.

GEO. RYVES *Collegij beatæ Mariæ Wintoniæ in Oxon. Cuſtos.*

Roma ſuperba, furens, nullas niſi ſanguine fuſo
Nouit inire vias, Ignes, & fulmina, ſulphur
Tartareum, arma parat, miſcetq; Aconita, venena,
Pectore regali gladium, iugulog; ſacrato
Condere non metuit, flammaſq; immittere Templis;
Et Regem, & ſobolem, Proceres, Patriam, atq; Penates
Conijcit in cineres, (quanta hæc molimina!) ſtatu
Vno, Virtutis nomen, ſcelerig; nefando
Imponit meriti, cœli ſic ſcandere culmen
Inſtituis miſſas imo ex Acheronte Locuſtas?
Vna dies vidit, vicit, ſenſit, ſuperauit,
Iamq; exultat, ouat, geſtit, lubiloq; Triumphat.
Proxima lux cæcâ latitans caligine, mæret,
Et lachrymas oculis, gemitus, ſuſpiria cordi
Immittit, luget, nec ficto corde precatur,
Crede *Hadadrimmonias* rurſum redijſſe querelas,

Iosiamq; nouum veteres renouasse dolores:
Quam subitò lætis succedunt tristia Fatis?
Anglia iam victrix victa est, Bellumq; sine hoste.
Non armata manus, sed mens ingrata, Deiq;
Oblita in luctum tantos mutare Triumphos
Prævalet, in cælum clamant peccata, luitq;
Princeps pro populo, primoq; in limine vitæ
Sol rutilans mundi tenebroso in carcere terræ
Conditur, & regni columen charisq; Parentis
Vnica spes, Atauis plus centum Regibus ortus:
Sic contempta dei bonitas in vulnera transit.
Quid non promisit pectus Regale, manusq;
Fortis, mens prudens, sanctæq; in flore iuventæ
Relligionis amans, pietatis cultor, & altor?
Anglia qui potuit perisse superstite tanto
Principe? qui potuit (viuo) non esse beata?
Vna dies vitam tibi Princeps, prospera nobis
Inuidit, Regem, Proceres, Patriam atq; Penates
Conjecit in luctum. Nascentia rumpere fata
Mors properat, miseros nos, te jubet esse beatum.

(Sancte parens) miseris succurre, hac morte luatur
Quicquid Britanni meruerunt pendere mores,
Perde Meretricem bacchantem sanguine sacro,
Proventu scelerum quæ pugnat vt imperet orbi.
Invictâq; manu Regem seruato, dierum
Vt pleno, & semper numerosa prole fruamur.

GVLIELMVS GOODWIN *D. Theol.*
Ædis Christi Decanus.

Flere

FLere placet metro? numerisq; efferre querelas
Ad legem? cum iam cuncta dolore stupent:
Cum nostræ columen pacis, spesque altera vitæ
Concidit, & rupta est anchora sacra ratis;
Cum rident laruati hostes, terrore remoto,
Armantque in Regis pectus inerme manus:
Tristis Musa canat? potius loca deuia quæram,
Desertosq; sinus, vt sine teste fleam.
Flebo meos, flebo q; tuos, (mea Patria) lapsus:
Isti acce[illegible]derunt fulmina sæua Dei.
O si mate[illegible]a tanto subduceret igni
Anglus, [illegible]as flammas fletibus obrueret:
* Nabothæa [illegible]uis frustra ieiunia mandet,
Dum [a]mac[illegible]t Regum sanguine potus Aper.
At tu vultur hi[illegible]s, qui nostro in funere gaudes,
Ac si vel regni mors, tua vita foret,
Quid turges? viuit radix sacrata IACOBVS,
CAROLVS & viuit ramus, imago patris,
Et viuit Regum Pater, æternumq; sedebit,
Nec sinet Idolum templa tenere Dei.

IOH. SPENSER *Colleg. Corporis Christi Præses.*

* 1. *Reg* 21. 12.

a *Baron. ad Pontificem Rom. in causa Venet.*

LAta triumphabat quæ non gens, Principe viuo?
Defuncto, quæ non soluitur in lachrymas?
Te viuo gemuit, sed te moriente triumphat
Italia, huic Regum tristia fata placent.
Ast quicunq; Deum verè colit, iste dolore
Contendit mæsto cum Patre, cum Patriâ

Deliciæ Gentis, Britonum spes magna fuisti,
Funera tam chari Principis atra nimis.
Sed cui te dederas Numen, te duxit in altum;
Lætis tu frueris, tristia nos patimur.
Rex, Regina, Deus, Soboles quoq; Regia, viuant:
Cætera, nec desint Sceptra, Iacobæ tuis.

HENR. AIBAY *Coll. Regin. Præpositus.*

FLoruit HENRICVS innumis, sed flore caduco,
Exæstuanti febre correptus iacet.
Non omnes homines nascuntur stirpe Monarchæ;
Omnes Monarchæ sunt tamen nati viris.
Reges sacra *Deos* appellat pagina, sed quos
Stabilita mortis iura mortales probant.
Hinc terris *Reges* rapit inclementia mortis,
Inter supremos & locat cæli Deos.

O Mors dira nimis, nimis cruenta,
Quæ tot myriadas necas in vno.
Princeps spes Patriæ, & salus, futurus
Defensor fidei, timor Papistæ,
Aulæ summus honos, stuporq; regni,
Humani generis decus stupendum,
Quem fas Semideum est pijs vocare,
Manes ante diem petens sepultos,
Vt cunctis animam rapit Britannis,
Qui desiderio sui senescunt,
Sic luctum & gemitum relinquit orbi,
Orbi præcipuè beatiori
Verum Euangelium pie colenti.

O mors dira minis, nimis cruenta
Quæ tot myriadas necas in vno.

Io. Bancroftt. *Coll. Vniuers. Magist.*

HENRICVS fulcrum Patriæ, Patriæq; columna,
Religionis honor, Nobilitatis Amor.
Lumen amicorum, Magnæ spes altera *Troiæ*,
Mundi Sol oriens, occidit ante diem.
Si quid in humanis certum, dum viueret ille
Anglica terra satis tuta, potensq; fuit.
At iam quassa tremit, quasi Fundamenta laborent,
(Nam Fundamentum Regia progenies)
Ducite quin pompam, sed quid iam Pompa valebit?
Hoc funus planctus & lachrymæ celebrent.
Et quoniam meruit longam traducere vitam,
Det vitam seræ posteritatis Amor.

SVnt splendor Orbis, *Insulæ Britannicæ*;
Britanniarum splendor est hæc *Angliæ*;
IACOBVS, ille est *Angliæ* splendor suæ.

HENRICVS, vnus ille, (dum vixit) simul
Virtute, Meritis, Famâ, adornauit sua,
IACOBVM & *Angliam*, *Insulasq; Britannicas*.

Quin ergo possunt raptum, (& ad superos) piè
Non flere, Natum, Principem, summum Decus,
IACOBVS, *Angliæ*, *Insulæ Britannicæ*?

GVIL. LAVD. *Decan. Theol. Col.*
D. Iohan. Bapt. Præses.

IN HENRICI, SERENISSIMI IACOBI MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS FILII, PRINCIPIS WALLIÆ, DVCIS CORNVBIAE, &c. NECNON Collegij Diuæ Mariæ Magdalenæ apud Oxonienses Patroni, & Mecenatis illustrissimi Longèq; indulgentissimi, Carmen FVNEBRE.

ET meritò, quis enim iustum cohibere dolorem,
Quisue aut effusis temperet a lachrymis?
Proh dolor! ah confusa domus, re & nomine dicta
Magdalena nimis, perluis imbre genas?
Deucalioneas si fundat *Aquarius* vnas,
Sufficere immenso non potuére malo.
Ipse ego qui dudum, magno te Præside, felix
Præses eram, sine te quid miser ah faciam?
Tristitiam quandoq; dies, & mitigat æuum:
Lenire hunc luctum secula nulla queant.
Infaustum repetant alij ad suspiria carmen,
Perpetuæ mihi erunt cum gemitu lachrymæ.

GVIL. LANGTON *S. Theol. Doctor Coll. Magd. Præses.*

NOn mortem Gens nostra tuam, dulcissime *Princeps*,
Sed sortem potiùs fletu gemitúq; suam.
Scilicèt Apparens patrij vt diadematis Hæres,
Sic hæres patriæ Relligionis eras.
Spem verò amittens Regni te iure manentis,
Rem Regni æternâ lege manentis habes.

Angelicus

Angelicos regnas, (Rex vbi quisq;) choros.
Multùm chara fuit spitanti *Academia*, multo
Charior at Cathedrâ est, Doctor vbi ipse *Deus*.
Mira cano: tibi nil nisi pectore candor in atro,
Cor condis plenum, fel sine felle fuit.
Quæq; cauos cerebri possedit vbiq; meatus,
Sanguinis & laticis copia larga nimis,
Nónne tuo penitùs cerebro insedisse fatetur,
In cruce, quid Christi fluxerit è latere?
O nimiùm dilecte *Deo*, plorande *Britanni*
Plus nimio, quorum Stella, superstes, eras!
Sed plorande minùs, CAROLVS quia chara *Britannis*
Lux oritur, nostri nunc Cynosura poli.

IO. RAWLINSON *Doct. Theol. Aulæ*
S. EDMVNDI *Principalis*.

MAtris amor dudum, & magni genitoris imago
Stirpis inocciduæ spes, tamen occidua,
Ostendêre orbi simul & rapuere, nec vltra
Fata sinunt gentis te superesse tuæ,
Ne nimis, immeritósque beent, Quid volvitis Astra?
Fallor? an hoc aliquid prodijt è Cinere?
Fortunate cinis, fortunatæque favillæ,
Vndè nouus Phœnix prodijt, *Eboracue*.

VNde mihi nouus hic circum p. ęcordia fulgor
Lustrat, & arcano lymphatum verberat ictu
Insolitum pectus jubar, & terroribus vrget?
Tu modò sydereo delapsum numen ab axe
Mentem agis (ô Princeps) patrio dudum addite cœlo?

Téne ergo humanâ (Princeps) compage solutum
Aligerum ad superos nunc evexere manipli,
Heroicis miscendum Atauis? Téne inclyta cœli
Templa tenent, tantoq; exultant hospite Dini?
O nimium dilecte Deo, cer & amplius Omnes,
Ante alios felix, quos detinet arctior orbis.
O salue æternum, funus æternúmque valeto.
Te cum luce novâ, quoties Aurora rubescit,
Téq; canam quoties obscurat opaca polum nox,
Immortale tuis decus, & dolor vnicus, Anglis.

Io. Budden I. C. & Professor Regius
Ex Aulâ Hospitij Noui.

FErrea sunt prorsus veterum decreta Sororum,
Quippe exorantur nec prece, nec pretio.
Si precibus quicquam potuisset terra *Britanna*;
Assiduas fudit terra *Britanna* preces:
Nec pretio quicquam *Britonum* Rex ipse peregit:
Ars vestra, O medici (credite) vana fuit.
Spes Patris, & Patriæ, florentibus occubat annis
Henricvs, quo nonchiarior alter erat.
Gratior his nostris haud quisquam vixit in oris,
(Semper te excipio, magne Iacobe, Patrem.)
Sat sibi fortè diu vixit, Tibi, maxime Regum,
Non satis; heu, Patriæ nec satis ille suæ.
Quem pietas, quem vera fides, quem cura beauit
Sacrorum, hunc tibi tu mors inimica rapis?
Qui cupijt lætus tædas vidisse jugales;
Elisabetha tuas, & Friderich tuus;
Pro thalamo tumulum petijt: (est ea gloria mundi,)

Sic

Sic miſcet rerum mors inopina vices.
CAROLE, fraternos qui es nunc aggreſſus honores,
Fac, æques Fratrem tu pietate tuum;
Aut ſuperes, ſi fas: erit hæc contentio iuſta;
Et ſic *Angliacis* murus ahenus eris.
Eſto Deus tua vis, tua ſola potentia, turris,
Præſidium, dubiæ portus & aura rati.
Sit pia cura, tuâ procul vt moueantur ab aulâ,
Quotquot Romanam ſcis coluiſſe *Lupam*.
Nulla fides illis; Papiſmus toxica miſcet
Dira, quibus Regum ſceptra decora cadunt.
Eia age; Tu virtute Dei procede; perempti
Vt letho fratris triſtia damna leues.
Gaudia ſic pectus complebunt fauſta IACOBI,
Et Mater felix ANNA, perennis erit.
ELISABETHA, PALATINO ſociata, triumphos
Læta aget, hoc vno lætificata modo.
Geſtabit frontem tum cuncta *Britannia* lætam,
Sic & *Vergiuij* cinctus *Hibernus* aquis.
Et vos *Virginia* fortes gaudete Coloni,
Cum pia dicentur *Principis* acta noui.
Vos tantum infidi, Papalia caſtra ſequentes,
Ilia præ gemitu rumpite veſtra graui.
Nos autem laudes celebrabimus Omnipotẽtis,
Qui nos ſecuros viuere, & eſſe facit.

SEBASTIANVS BENETFIELD S. T. D.
Collegij Corp. Chr. Socius.

STella iuuentutem irradians, pene æmula Soli
HENRICE, & ſoli cedere docte, patri,

Omnia mirificâ perstrinxti lumina luce
Dudum, at inexhaustas nunc agis in lachrymas:
Illuxisti Orbi, nunc manibus aduena fulge,
Phosphorus in vitâ, vesper ab interitu.

GVILIEL. OSBERNE *in Sacr. Theol. Profess. & Soc. Coll. omnium Animarum.*

AVGVSTISSIMO PRINCIPI DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

QVi se posse putat pro te (Clarissime Princeps)
Carmine flere satis, non satis ille dolet.
Est mihi præ reliquis lugendi causa, sed obstat
Quæ causa est gemitus, ne satis ipse gemam.
Mens oppressa stupet, quid dicam? sentiat opto
Ne magis hoc posthàc terra *Britanna* malum.

M. L. Q. *mœrens lugensq.*
IO. PRIDEAVX *Sacell. Exon. Coll.*

COmmunem luctum, damnum commune meretur:
Principe defuncto, publicus esto dolor.
Est *Princeps* commune bonum, quo publica saluo
Res stat; plebs, proceres, Regnáque læta manent.
Principis at doleant omnes cum funera spectent,
Principis atque ducis mœsta Sepulchra boni.

Occubuit *Princeps*, patriæ ſpes, optimus; Illo
Eſſe poteſt maius deficiente malum?
Deplorare tuam tibi tota *Britannia* cladem
Conuenit, & gemitus ingeminare tuos.
Noſter amor ciuis eſt, nunc contriſtamur amantes:
Publicus hic amor eſt; publicus iſte dolor.
Siſtito priuatos, Regum clariſſime, luctus,
Et lachrymis patrias parce rigare genas.
Sufficiant populi fletus, gemitúſque tuorum,
Vndique quos mœrens fundere cogit amor;
Te nobis ſaluum ſeruet *Deus* optimus, ille,
Qui nunc te ſeruat, Maximus ille *Deus*.

HENRICVS BVST *Doct. Medicinæ Coll. Magdal.*

CRudeles Parcæ, ſuſpectaq; numina tantum
Quid pius hic Princeps in vos committere, tantum
Quidúe Angli potuere? mori cogatis vt illum,
Quem ſi immortalem melior ſors reddere poſſet
Nec Pandora poteſt vltrà addere? ſcilicet hoc eſt.
Hic noſtro moritur crimine, non proprio.

TAngere quas potuit res admirabilis oras;
Omnes HENRICI nomine, ſpéque ſonant,
Illius infelix tetigit quem fama Sepulchri,
Cui non ſunt gremio lumina fixa ſuo?
Verba premunt lachrymæ, ſtupor eſt in corde Miuervæ,
In carmen lachrymas cogere nemo poteſt.
Carmina ſed vires, herbæque, arteſque, relinquunt,
Natura in tantis dum ſtupet ipſa malis.

Dij modò (si quos terra tenet) latet anguis in herbâ
Ite procul vestram mox dabit vrna vicem.

THO. SELLAR, è Colleg. Trinit.
Almæ Academiæ Procurator.

NIl opus est *Anglis* Musâ, tumidouè Poetâ,
Musa dolor, dum Res-publica scriptor erit;
Qui furit, & fingit, qui grandia personat, errat;
Qui stupet, aut moritur, carmina vera facit.

HENRICI EPITAPHIVM.

HIc jacet HENRICVS *Princeps*, cui *Scotia* vitam,
Anglis spem regni concessit, *Wallia* nomen.
Vltra Fata negant Iuvenem transcendere, & Orbem,
Qui metuit Dominum, Victoris funere placant.

CARMEN LVGVBRE.

ERgonè terrenam fugis insatiabilis oram,
Præcipitiq; gradu summam rapis impiger arcem?
Ergonè prædixti? *Fas extera quærere Regna.*
Quòd terras extra libuit migrare, vel vltra?
Vt tractare tuum non expectare paternum
Imperium posses? Neque semper dicier hæres?
Dum sic HENRICVM lustramus, fuit, abiit,
Non his vota Deus nobis meliora reliquit.
Quòd si (*Dive*) tuâ immaturâ morte, fugâque,
Si nunc post scelus hoc morbi, mundique rapinam
Soluet anhelantes concussa *Britannia* fibras;
Si mortem inijs alat, secretaque vulnera pascat.

Nec

Nec cedat lachrymis dolor improbus, at premat; illas
Æstus, & humorem totum in cor congreget vnum.
Hæc saltem implorant meliorem à Principe sortem,
Si (quod adhùc magis est, propioraq; Numina poscit)
Frigeat ipse Atlas Regni, Coniuxq; laboris,
Flebile si canat ELISABETH, stupeatq; *Hymenæus*,
Nec vacet admisso Thamisin committere Rheno:
Si saltet Iesuita, abeant jejunia Romæ,
Quam juvet infausti Sexti meminisse Novembris,
Qui redimat quintas æquali mercè Calendas,
Tristis adhuc quòd sexta dies jam tardior esset,
Atq; iterum fugeres Magni tua Fata dici.
Dum sic HENRICVM lustramus, postulat, instat,
Vt redeas virtus, madidique infantia regni.
Quis dabit huic licuisse mori? Talemque fuisse
Quis credat semel, & non semper credere esse?
Hic tamen egressus, raptusue, *viriq;* reliquit
Vt possint optare parem, certare querelis,
Et dare vincenti pretium immortale dolori.

EPIGRAMMA.

ECcum Roma tibi diem petitum,
Ride si sapis, *impudica*, ride;
HENRICVS perijt. Leuare damnum
Orbis non poterat, potest IACOBVS.
Plora si sapis, Architecta, plora;
Dictabo lachrymas; adhùc valemus.

RICH. CORBET, *Ædis* CHRISTI
Procurator Academiæ.

O Vtinam Britones me jure vocare Poetam
Possent, sic lachrymæ & ficta querela foret:
Sed lachrymæ fictam monstrant non esse querelam,
Queis nostræ toties immaduêre genæ.
Mortuus est Princeps, magni spes maxima regni,
Sol mundi, patriæ prima columna suæ.
Virtutes taceo, non cuiquam nominis vlla,
Cui non virtutis, mentio facta, tuæ.
Scribere plura vetant lachrymæ: nec dulcia nostra
Cum lachrymis falsis carmina mista fluunt.

RICHARDVS SPENCER *Baronis filius natu secundus, Art. Baccal. ex C.C.C.*

NVper dum nimio vexantur nostra dolore,
Et vix hanc lucem, lumina ferre queunt:
Gnara mali instantis fuit ars, ignara futuri;
Credo minus medicas hinc potuisse manus.
Scilicet extinctam, jam tum mea lumina, lucem
Senserunt, patriæ; mens mihi cæca fuit.
In lachrymas oculos, animam in suspiria, dudum
Soluissem tanti præscius ante mali.
Assiduis precibus petijssem numina, saltem
In nos flexissent quæ tibi fata ferunt.
Nunc animus quamvis mihi salvus, lumina salva;
Delicijs animus, lumina luce carent.

EDOARDVS SPENCER *Art. Bac. è C.C.C. filius Baronis* SPENCER *natu tertius.*

QValem rarò alijs peperit maturior ætas,
Ante pilos virtus Principis ecce fuit.
Siue Deum erudiendus adibat, siue rogabat,
Vt coram vivo fecit vtrumque Deo.
Grandia seu valido vibrabat pila lacerto;
Seu bellatoris terga premebat equi;
Annulus injectâ rapiendus pensilis hastâ;
Comminùs hastatus seu feriendus eques;
Non virtute minùs Princeps quam stemmate primus
(Nescia mentiri pectora tellor) erat.

Auspice ad *Eoos* dum te via quæritur *Indos*,
Ecce per *Occasum* fit tibi ad astra via.

Non erat in terris dignum te Principe regnum:
Hinc poterat virtus seriùs isse minor.

Publica nunc triplici stat res subnixa columnâ,
Quæ modo quadrati corporis instar erat.
Nobis vnus *Atlas* regnum bene sustinet: æui
Quæ nunc lugemus, damna sequentis erunt.
At ne sint, CAROLVS, siquid pia vota valebunt,
Sceptra senex natis tradet auita suis:
Et regnaturos Dabit ELIZABETHA nepotes:
Quis hîc spes, aut quid juris *Iberus* habet?
Pauci, crede mihi, non sunt duo: quicquid vbique est
Nunc hominum, vnus vir fæminaq́; vna fuit.

ROB. PINCKE, *Medicinæ Baccal.*
Novi Coll. Socius.

Quis

QVis solus inter tot querimonias
Versusq; mistos flebilibus modis
De *Principe* HENRICO perempto
Temperet à lachrymis *Britannus*?
Non ille vivus tam meruit malè,
Non ipse damnum tam patior leue,
Illo perempto, nec ruinas
Iam facile est reparare nostras:
Sic pergis æquâ lege necessitas?
Nil vt juventus, vt nihil indoles,
Aut corpus impube, aut Parentum
Vota precésq; mouere possint?
An nil repertus *transitus Indicus*,
Inq; *Occidentem* ducta Colonia?
An nil *Hyberna* Ciuitates
Imperij specimen futuri?
Clarúsne *Princeps* sanguine regio,
Nil interest, an pauper & infima,
De gente natus? sic potenti
Iustitiæ *Superisq;* visum.
Possim resolui talia colligens
In lachrymas, ni spes mihi diceret,
Cætu *Deorum* digniorem
Sorte frui meliore cœlo.

EDM. GVNTER, *Magist. Art.*
Ex Æ de Christi.

COnnubium HENRICI montosa *Sabaudia* quærit;
Florenza ambit idem, sollicitátq; diu.

Vtraq;

Vtraq; diuitias & inania nomina jactat,
Cœlibis at consors neutra futura tori.
Desponsari etenim HENRICVM Deus abnuit æquus,
Mutaret mentem ne male-suada *Venus*.
Hinc animam castam rapuit, *Christoq;* jugauit;
Vt cui terra parem non dedit, ipse daret.

ROB. POLDEN, *S. Theol. Baccal. Nouæ Coll. Soc.*

QVi niuej, rubriq; fuit flos, gloria floris,
Vt rosa vix pleno flore recisa, cadit.

QVàm sunt HENRICIS fatalia tempora *Magnis?*
Nempe hoc cum *Magno* nomine bella gerunt:
HENRICVM *Galli* fleuistis, flemus & *Angli*,
Magnus vterque fuit, *Maximus* iste foret.

DIra cano, sol exoritur, Nox atra secuta est.
Nam qualis medio splendet in æthere
Sol plenus radijs nubibus abditis,
Secedit nitido *Phosphorus* agmine,
Splendentiq; caret Lumine *Cynthia*.
Talis Sol oriens orbe *Britannico*
HENRICVS micuit, non *Veneris* aureum
Ostentare jubar, non *Iouis* inclytum
Præfulgere comâ sydus amabili,
Non fratri potuit Lumine proxima
Spectari niuea *Cynthia* lampade,
Sic dum stella polo nobilis *Anglico*
HENRICVS rutilis fulserat ignibus,

Perpetuam hanc cœlo faciem, Vultuſq; ſerenos
Spondet; & æternum ſemper adeſſe diem;
Quin etiam ſubitis turbinibus diem
Ereptum ex oculis: pellitur aureo
Sol noſter ſolio, pellitur æthere
Stipatus nitido *Phoſphoro* agmine,
Iam mundo tenebræ, & nox grauis incubat
Horrenduſq; fragor, ſpiſſaq; nubibus
Tempeſtas ſubitos incutiunt metus.
Iam non vlla polo ſtellula turbido
Languenti radians Lumine cernitur;
Quicquid non tenebris vſque reconditur
Illud fulmineis lucet ab ignibus:
Iam venti *Æoliâ* præcipites domo,
Fœcundiſq; ruit *Iupiter* imbribus:
Et cœlum nebulis vndique ſordidum
Ploratu in lachrymas triſte reſoluitur.
His immiſta malis triſtitiæ comes
Importuna ſonos deuia lugubres
Ferali reciſit Noctua carmine.
Sic cum ſtella polo nobilis *Anglico*,
HENRICVS rutilis ceſſerat ignibus,
Squallentẽ hanc mundo faciem, noctemq; profundam
Liquit, & obſcurum jam ſine luce diem.

AD SERENISSIMVM IACOBVM *Regem*.

EX geſtis *(Rex* Magne) tuis, quæ plurima, ſummis,
Summum erat HENRICVM te genuiſſe tuum;
Siqua mali rebus juncta eſt mixtura ſecundis,
Summum eſt HENRICO te caruiſſe tuo.

Siſte

Siste tamen lachrymas, Magni nam viua parentis
CAROLVS effigies, integer ecce manet.

THO. WILLIAMS, *Magist. Art. Ex Æd. Christi.*

MEnsis hic Hybernus tibi, patria chara, *Nouember*
Semper honoratus, semper acerbus erit.
Huius quinta nouam meditatam puluere stragem
Nitrato, in lucem protulit, alma dies.
Huius sexta nouis meditantem heroica factis
HENRICVM luci sustulit, atra dies.
Tristia sic lætis miscentur, dulcia amaris,
Denegat huic vitæ gaudia pura Deus.

HENRICVS justos si perueniisset ad annos,
Cum gereret forti sceptra *Britanna* manu,
HENRICVS Nonus, decimus clarescerat herôs:
Heroas tantùm sed licet esse nouem.
CAROLVS at Magnus, Deus ô concede, secundus
Vt sit qui fratris tristia fata leuet.

E. ASWOOD, *C. C. Ch. Mag. in Art.*

SPondebam æternam tibi magna *Britannis* pacem
Cum ternâ Regis prole beata fores,
En tamen hic felix numerus decrescere cæpit,
Qui pluralis erat, jamq; dualis erit.

CAROLE dejectis qui nunc ſpes vna *Britannis*,
Tu repara hæc populo CAROLE damnatuo.
Fratrem animis imitare tuum, virtutibus æqua,
Et præter fatum, ſingula Fratris habe.
Sic forte hic numerus, faveat ſi *Iupiter*, inſtar
Pluralis, *Latio* more, Dualis erit.

THO. SPARKE, *Art. Magiſt. Novi Colleg.*

QVæ *Regis?* aut quæ cura *Britannia?*
Quæ *Muſa* dives carminibus, tuas
HENRICE virtutes in ævum
Per titulos, memoréſve faſtos
Æternet? ô ter maxime Principum,
Septentrionis diuitiæ, ſalus,
Spes, ara gentis luctuoſæ,
Imperij columen *Britanni*.
Hæres Honoris; prodiga quem dedit
Natura terris, invida ſuſtulit,
Virtute vitam prorogaſti,
Atque animo ſenior cadebas
Ætate prima. Vix noua cæperat
Lanugo vultus tingere Regios,
Tractare res ſummas paraſti,
Conſilio & patriam ſenili,
Et civitatem quis deceat ſtatus
Curare: Regnis ſollicitus tribus.
Roma, & timendorum futurus
*Pontifici*um metuendus hoſtis.

Nec

Nec ferre ritus mens *Babylonicos*,
Ritus nefandos, nec *Iesuiticas*
Fraudes, fidem veram, *Deumq;*
A tenero meditatus vngue.
Quæ vita? quæ mens Regia? & indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus?
Solus quot HENRICOS ſub vno
Pectore magnanimos tegebas?
Vitam dediſſent numina ſi tibi,
Non ditioris *Cantabri* imperi
Eſſet tyrannus; mox & vltra
Virginiam penetraſſet *Anglus*.
Te copias, te conſilium, & tuos
Præbente diuos *Eudoxius* vias
Tentauit audax denegatas,
Per glaciem gelidóſq; fluctus
Viſurus ortum ſolis, & *Indias*
Feliciores. Occidit, occidit,
Fortuna gentis noſtræ, & omnes
Imperij metuunt ruinam.

HENRICI *Sors Deus eſt.*

HENRICVM jam ſorte *Deus* meliore beauit,
Extera quærebat regna, & habet ſupera.

Symbolum Henrici.
Fas extera quærere Regna.

Academia Oxonienſis Lachryme.

INter pullatos Proceres, populumq; dolentem,
Mœſtitiæ & fletus, pars quota noſtra foret?
Sed dum teſtari *Oxonium* cupiebat amores,
Vt *Niobe* in lapidem verſa, dolore riget.

Ite

Ite leues versus, faciles discedite *Musæ*,
Cura leuis loquitur: qui dolet ille tacet.

SAMVEL FELL, *in Art. Mag.*
Ex Æde Christi.

EX virtute polus, non ex ætate paratur:
Non senior, verùm dignior astra petit.
HENRICVS superis quòd tam citò Diuus in oris,
Non est mirandum: tam citò dignus erat.

Regibus Angliacis post longæ tempora vitæ,
Optamus seri gaudia summa poli:
Principibus nostris felicia cuncta precamur,
Regnaq; supremos non habitura dies.
Audit vota Deus, suprà quàm credimus: hinc est,
HENRICVS saluo quòd patre raptus obit.

Conjugium humanæ quasi perpetuatio vitæ est,
Nemo nisi cælebs vt moriatur, habet.
Nam conjux in se quamvis defecerit ipso,
Attamen in simili prole superstes erit.
Quæsiuit Princeps, *Hectorq.* Britannicus idem
Andromachen, sed non repperit ille parem.
Ergo totus obit, toti deflebilis orbi,
Non vllum cælebs *Astyanacta* dedit.

Quem Rex progenuit primis IACOBVS in annis,
Hæredem imperij constituitq; sui:
Quem genitum proprias IACOBVS finxit ad artes,
Atque aptum bellis, consiliisq; dedit.

Qui multos animis HENRICOS condere cæpit,
Vt numerus numeros continet octo sequens: (dit,
Quem Rex, quem populus fore nonum Heroa spopon-
HENRICVS Princeps (res lachrymanda) fuit.

IOANNES REINOLDS, LL. Baccal.
Novi Coll. Socius.

NEmo immaturos decerpit ab arbore fructus:
Crescentes flores nemo revellit humo.
Te tamen (O dulcis patriæ flos inclyte *Princeps*)
Mors rapuit primo veris honore tui.

Vixisti (*Princeps*) gemmis insignis & auro:
At nunc sublatus clarus, vt astra, micas.
Vixisti tantùm regni pulcherrimus hæres;
At nunc sublatus regna beatus habes.

Hæc tibi tam pulchra est (credo) mutatio, vivus
Vt nolles vitæ de brevitate queri.

Aureus à nostrâ divellitur arbore ramus,
Sed tamen avulso hoc aureus alter adest.
Vive diu (*Princeps*) defuncti fratris imago:
Virtutis vivas fratris imago tui.
Vt quando in terris longos compleveris annos,
Cum fratre in cœlis sit nova vita tibi.

GVILIELMVS MAYCOCK, *Mag. Art.*
Ex Æde Christi Oxon.

IN promptu est fatum, & fati incusare ministros,
Sœuitiæq; ipsos insimulare Deos:
Sed frustrà querulæ mittuntur in æra voces;
Non reparant hausias aspera fata colos.
At lachrymas gemitusq; dari, vel funera poscunt:
Mœsta magis siquis viderit ista vetet.

Quæ nos in Longos spes fortunauerat annos,
Principis HENRICI in morte sepulta jacet.
Vixisset, patrius candor vixisset in illo,
Religioq; eadem, & par sine fraude fides.
Sic longos patri tribuisset filius annos;
Sic benè tradiderat, CAROLE, sceptra tibi:
Iam Pater ipse suos, & nati compleat annos,
Vota suis Anglis impleat ista Deus.

ROGERVS PINCKE in LL. Baccal. Noui Coll. Socius.

CVr non sanguineo malè splenduit igne Cometa?
Nec præsaga tuæ signa fuere necis?
Incauto imposuit fatum tum durius orbi,
Ne mallet cineres axis vterque suos?
Hoc cladem stragemq; voco, non funus, & vrnam,
Insula in vnius vulnere tota perit.
Currite ad Exequias populi, date thura fauillis,
Cœlum pro tumulo quæ meruere suo;
Et legite inscriptum ferali marmore carmen,
Orbis spes, modico puluere, pressa Latet.

HENRICVS HALSWELL *Art. Mag. & Coll. omnium Animarum.*

Passa

PAssa est eclipsin *Borealis* gloria mundi,
Et decus Anglorum qui modò gentis erat.
Passa quoque eclipsin spes est jam vestra, Camœnæ,
Nec mirum, HENRICVS vester opertus humo est.

Ante diem est virtus tibi parta, HENRICE, fuitq;
Mens juuenis puero, mens juveniq; senis.
At juuenis tanti perierunt dona cadentis,
Dona re-accepit jam sua quisque *Deum*.

NICOLAVS DARELL, *LL. Baccal. Novi Coll. Socius.*

Symbolum Principis in sortilegio.
Et nos fas extera quærere regna.

Σύμβολον augurium si continet, (inclyte Princeps)
Extera, quod *fas est quærere regna*, docet.
O vtinam regnum tibi fas tenuisse paternum,
Hac poteras *Anglos* sorte beasse tuos.

Donec vivus eras, potens
Princeps, spes patriæ, gloria Principum,
Multi nominis *Anglia*
Vicinis viguit clarior insulis.

Donec vivus eras, potens
Princeps, spes Patris, & nobilium decus,
Felix *Anglia*, Principe,
Australi viguit parte beatior.

Securus populus fuit,
Solo magnanimi nomine Principis,
Nec bello timuit *Iouem*,
Nec densi timuit militis agmina.

Aſt heu, fata ſuas vices
Mutârunt nimium ferrea: *Principe*
Defuncto, gemit *Anglia*
Terrarum reliquis triſtior inſulis.

Nil præter lachrymas habet,
Luctus, & gemitus, & madidas genas,
Tanti funere *Principis*
Omnis ſpes patriæ, ſpes patris, occidit.

Et ni ſtemmate nobilis,
Solamen patriæ, CAROLE, tum patris
Viuas, occidet *Anglia*
HENRICO pereunte, occidet & pater.

Princeps vive precor diu,
Solamen populi, CAROLE, tum patris,
Viuet cum populo Pater,
Si parcant animæ fata ſuperſtiti.

Io. LLOYD, *Artium Magiſt.*
Ex Æde Chriſti.

Infestus syderum aspectus, qui fuit Octauâ horâ Pomeridianâ, *Anno* 1612. sexto *Nouembris*, *quo tempore obijt* HENRICVS *Princeps.*

QVâ *Princeps* mundo illustris valedixerat horâ,
Cur quinque è septem sydera mersa latent?
Pernitiosa duo superis remorantur in auris,
Saturnus cœli quid prope culmen agit?
Et *Mars* solus habet cœlum Peregrinus, & exul,
Quæ stella in terris horrida bella mouet.
At cur deseruit mundum *Sol*? mitis in alto
Iupiter occasu, quid vaga *Luna* latet?
Mercuriusq́; celer motu, *Veneriq́*; salubre
Sydus de cœlo præcipitanter abit?
An casu hoc dicam fieri? vel sponte seipsa
Subduxisse polo sydera fausta putem?
Sponte suâ, ne portentum tam triste viderent,
Auguror *Hesperio* delituisse salo.
Scilicet hoc tempus nisi mors vidisset, an ausa
In charum HENRICI mittere tela caput?
Ausa est tale nihil, vires ni occasio reddat,
Cum terris cœlum nil dare posset opis.
Sic fuit ô superi: sic, sic voluistis: vt istud
Luctiferum tempus, flebilis hora, foret.
Sol Diadema illi, & longos promiserat annos,
Æternum, & felix *Iupiter* imperium.
Blanda *Venus* nuptam cum multâ prole, *Diana*
Ius Maris, & *Maiæ* filius eloquium.

Et quia non poterant præstare hæc, forsitan illos
Detinuit pudor, aut fecit abesse dolor.
Attamen hoc soluunt quod possunt cardine in imo,
Quando quod vellent hoc sibi fata negent.
Astrigero æternam sedem dat *Phœbus Olympo*,
Immortale decus, *Iupiter*, inquit, erit.
Mercurius famam, & quicquid præstare *Camœnæ*,
Quicquid & ingenium *Mercuriale* potest.
At tumulum *Venus*, & suaues largitur odores,
Hymnos, & quicquid nobile funus habet.
Sertum de varijs contextum *Cynthia* gemmis,
Et lachrymis plenum vas, feretrumq; dedit.

R. O. BVRTON, *Mag. Art. Ex Aed. Christi.*

ORa Poetarum capiant jam lautiùs vndam
Pegaseam, & pleno carmine vena fluat:
Turget aquis *Helicon*; ne copia desit aquarum,
Musarum lachrymis multiplicantur aquæ.

Me miserum! lachrymas video vndique, & vndiq; fletus,
Imbre per indignas vsque cadente genas;
Aula scatet lachrymis, lachrymis Academia manat,
Vrbs lachrymis, lachrymis rus quoque triste madet.
Humida quùm fiant sic omnia; dic mihi, nónne
Carmina qui nequeat fundere, siccus erit?

Tempore quo cecidit florum genus omne, cadebat
Flos ipse Angliaci, deliciæq; soli.

Quâ

Qua magis illustris nunquam resplenduit orbi
Stella cadens facta est; siccine *fixa* fuit?
Cui tot, dùm vixit, cœlestia dona fuerunt,
Hunc gelido tellus claudet avara sinu?
Horrenda hæc (bone dij vertant) confusio rerum!
Quùm cœlum & tellus mista simul coeant.

RICHARDVS ADAMS, *Art. Mag. Novi Coll. Socius.*

PVlla aula, & vestes, Academia, templaque pulla
Omnia: cur? Regni *Pullus*, amorque perit.

Ore hominum salvus (Princeps HENRICE) natabas;
Nunc oculis (Princeps fletibus vde) natas.

Sole caret quo nil melius sol vidit, ad vmbras
Hinc fuge, vt HENRICO lux tua *(Phœbe)* micet.
Festa dies agitur Dijs manibus, i fuge, plus nos
Funalis clarâ lampade tæda juvat.

Mors fata *Pythonem* est, HENRICVS *Apolline* natus,
Quem genuit *Phœbo* juncta *Minerua* Deo.
Cur rapit HENRICVM *Pythonis* filia? *Phœbus*
Pythonem, HENRICI, strauerat antè, parens.
Et genitor pridiè quàm (Princeps alme) jaceres
Sulphureæ domuit fata cruenta necis.

Castalis

Castalis vnda solet vates lactare canentes,
Cùm sacra Pierijs lingua maderet aquis:
At postquam lachrymis HENRICI funeris, vnda
Intumuit, vates obruit ipsa suos.
Sic dum Musa suo fletu madefacta liquescit,
HENRICVS docti vatis honore caret.

Σοὶ τέχνας ἀρετὴν, γένος, ἥβαν, ἵνα δάμασσιν
Κῆρ ἁμὰ: νῦν ἀν τὶς πανδαματῶρα, λέγοι.

IOHANNES WALL, *Ædis Christi, Art. Mag.*

SÆpe vocata mea est celebranda ad funera, *Musa*,
Nec nostras audit sæpe vocata preces.
Quid mirum? tristis sedem jam *Musa* reliquit,
Et tua deserto busta *Helicone*, colit.

NVper vt aspexi spirantia Principis ora,
Quæ plusquam humani plena decoris erant,
Flexilis in varias scindebat pectora partes
Mens, *Hominem* dubitans crederet, anne *Deum*:
Majestas vultus, decor oris, gratia linguæ
Esse mihi HENRICVM dicere visa *Deum*.
Corporis effigies, membrorum forma, locusque,
Esse *Hominem*, rursus visa probare mihi.
Sic dum mens partem nunc hanc, nunc fertur in illam,
Et magis hæc nobis, & magis illa placet:
Ipse mihi dubium soluit, lethoq; peremptus,
Mortalem verè se moriendo probat.

Quintus

Dum *Londinensis* Capitoli immobile saxum
Et stet papicolis inuidiosa domus,
Fausta tibi fuerit, gens Anglica *quinta Nouembris*,
Lux infausta tibi *sexta Nouembris* erit;
Illa precor semper niueo signanda lapillo
Splendescat felix, & sine nube dies,
Semper at hæc tristi & nigro carbone notanda,
Lampada Phœbæam nubibus atra tegat,
Illâ etenim effugit nitrati pulueris ignem,
Febris at hâc *Princeps* igne peremptus obit.

Quintus & sextus dies Nouembris.

Vt non aspiceret moribundi *Principis* ora,
Phœbus ad Hesperias accelerauit aquas.
At cum defunctum miserè conspexit ab ortu,
Cui conspexerunt sæcula nulla parem,
Obduxit radios luctu miserabilis ægro,
Et nigræ obscurans lumina frontis, ait
Quis mundi tenebris succurret? Nam mea paruum
Extincto HENRICO, lumina lumen habent.

IOAN. ROGERS, *LL. Baccal. Novi Coll. Socius.*

ÆStas præcipuos amisit læta colores,
Et rigida emisit frigora tristis hyems.
Indue *Brumalem* funesta *Britannia* vultum,
Et lachrymas toto flumine funde tuas,
Scilicet autumnum quis non plorauerit istum,
In quo non frondes, arbor at ipsa cadit?

GVLIEL. IOHNSON, *Ex Æde* CHRISTI.

NOn credo HENRICVM defunctum, credere no-
Omnes vt credant, non ego credo tamen. (lo,
Tam insignis specie iuuenis, tam fortis, & acer,
Tam sanctus superûm cultor, itemque frequens.
Debuit hic, potuitue mori? quis credere tantum
Possit, qui admissum, viderit ipse, nefas?
Quis tali mortem afferret casúsue Deúsue?
Mors, puto, ab hoc rapidam temperet ipsa manum.
At mea me fallit spes, & mihi somnia fingo:
Sic hominis prona est in meliora fides.
O vtinam falsus rumor, vel spes mea vera;
Sed mihi res nuper cognita vera nimis.
Est mihi quod mœstum recreet, diademate fulget,
Quod nunquam capiti detrahet vlla dies.
Quantum lucratus: non permutauerit ille
Cum *Patre*, non vllâ conditione statum.
Nos omnes iactura premit, tristesque parentes,
Hijs spes prima fuit, delitiæque breues.
Hinc omnes lachrymæ, gemitus, suspiria, & iræ,
Est at in hijs pietas, danda pijs venia est.
Magne Deus mœstos iterum solare penates,
Et nobis ingens hoc reparato malum.
Quos nato dempsisti, appone parentibus annos;
Et reliquam prolem protege, daque nouam.

NICOLAVS LANGFORD. *Magr.*
in Art. Ex Æde CHRISTI.

HENRICO

HENRICO natoque, parens IACOBE, parentans,
Contra naturæ munia, iusta facis.
Quod citus officium cineres persolvis in huius,
In cineres serus debuit ille tuos.

HENRICVS Princeps ad præstantissima natus
Omnia, quæ pacem militiamq; decent:
Virtutum ille Gades cunctarum venit ad omnes,
Cum nil vltra esset, quo graderetur, obit.

HENRICVS perijt, nostro iam debitus orbi;
Natura HENRICI pauper in ære fuit.
Non aliter poterit vitam pensare peremptam,
Ni CAROLVM duplo det superesse ducem.

RICHARDVS IONES, *LL. Baccal. Novi Colleg. Socius.*

MVsas esse nouem quondam finxere poetæ.
Non capit HENRICOS terra *Britanna* nouē.
Copia Musarum est, non tanta est copia Regum:
At, moriente vno principe, musa perit.

ROB. WHITEHALL, *Mag. Art. Ex Æde* CHRISTI.

NOndùm bis denos PRINCEPS cōpleuerat annos,
Inijcerent auidas cum fera fata manus.
Hâc ætate tamen vires in corpore magnæ:
Sed virtus animo iam *Tibi* maior erat.

Ætatem supra sapiens, fortisque, probusque,
Ætatem supra religiosus eras.
Tales cùm tulerit *Ver* fructus; quanta fuisset
Messis in *Autumno*, *Nobilis umbra*, tuo?

Principibus non est vitæq; necisque potestas:
Viuere non poteras, sed potes ecce mori.

Vna quot heu populis damnum mors intulit! *Anglo*
Spem regni eripuit, rem tibi, *Cambre*, tuam.
Ad fletum, & lachrymas tam tristi funere dignas,
Non *Thamesis*, non est tota *Sabrina* satis.

HUGO ROBINSON, *Art. Mag.*
Noui Colleg. Socius.

O Quam *Camœnam*, quodúe (dum celebro tuos
HENRICE, manes) carminis secter genus!
Epicúmne senis grande quod pedibus crepat?
Fuit ille vitâ dignior versus tuâ.
Vocale molli carmen assuetum *Lyræ*
Tibi nuptialem melius ornasse dicam.
Vehemens, & acer, & tubæ referens sonum,
Isset triumphos inter *Anapæstus* tuos.
Lugubris *Elegus* funera & fletus ciet.
Sed ore tenui: me iuuat planctus dare
Grauiore plectro: qualis incedit suis
Tragicus cothurnis, principum clades graui
Tonans *Iambo*: talis in luctus ferar.
Audite fontes, nemora, conualles, lacus,
Montésque & amnes: audiat vastum mare

Omnisque

Omnisque terræ tractus, & cœli plaga:
Ille, ille noster HERCVLES cecidit nouus;
Diuina soboles; alma cui rerum parens
Iam viribus defecta, nec partum valens
Vtero senili ferre, succubuit dolens;
Fecitque abortum: siccine, ô fatum, soles
Dando, auferendo ludere humanum genus?
At nunc superbos decuit armatâ manu
Petîsse *Turcas*, Regiâ decuit rate
Domuisse, quicquid æquoris longo patens
Tractu, *Britannos* inter, atque *Indos* iacet;
Et addidisse regna *Neptuni* suis.
Video cohortes militum, classes, equos,
Quos iam parabat: fallor, an et ipsos quoque
Video triumphos? fallor, ah fallor miser:
Funebris illa est pompa, quam ducit frequens
Atrâ iuuentus veste: subsequitur senum
Squallens caterua: virginum humentes genas
Lacerosque crines video: me miserum! petît
Spes illa *Britonum*; vota perierunt mea.
Sed siste fletus: regna deseruit sibi
Angusta nimium; maius at regnum tulit,
Superoque *Diuus* regnat HENRICVS polo.

SPes & *Amor* Britonum cecidit te, *Henrice*, perempto,
Illa comes vitæ, funeris iste tui,
Vna fides superest, vtinam tamen *vna* supersit,
Nec tecum posthâc sit peritura *Fides*.

IOANNES HARRIS, *Art. Mag. Nov. Coll. Socius.*

ANne eadem cœli facies? Nec *Cynthia* cessat,
Nec *Phœbus* solitas ire, redire vias?
Viuit an humanum genus? An sub morte fatiscit,
Fertque vnum *tapeti* tota propago necem?
Heu nihil est quodcunq; vides, nisi inane, vel vmbras;
Aut nihil, aut Stygia est terra vocanda palus.
Perdidimus cœlum cum *Principe*, sydera, lucem;
Et quasi tot manes heu sine sole sumus:
Occidit in terræ gremio, nox multa sequuta est,
Visne diem? fratris (*Carole*) sume iubar.

GABRIEL CLARKE. *Mag. Art.*
et Ædi CHRISTI.

DIstillent lachrymas calami, & madefacta papyrus
Afferat è *Stygio* nil nisi triste lacu.
Non opus est Musis, opus est nec Apolline nostro,
Cuilibet hæc prompta est *Musa*, & *Apollo* dolor.
Carmina siqua vides, gemitus, suspiria dicas,
Atque vago, luctus, verba soluta, pede.
Flere pium magis est, quam scribere, carminis instar,
Sit facta (heu) lachrymis ista litura meis.

GVILIELMVS SOVER *Art. Mag.*
Et Ed. CHRIST.

DVm parat *Henricus* thalamos celebrare sororis,
Mors illum thalamos cogit inire suos:
Hunc totum voluit, prensat cum corpore dextram,
Sed nimium placuit corporis effigies.

Et

Et dum formosâ periens in imagine ludit,
Rapta abit *Angelicâ* Mens rediuiua manu.
Duplex connubium: ducit pars terrea Mortem,
Iungitur æterno purior aura *Deo*.

CORNELIVS LYMER *Mag. Art.*
Ex Æd. CHRIST.

SIccine dira manes mors insidiosa *Britannis*?
Sic inopina venis hospes, et hostis atrox?
Infandos sic vsque iuuat renouare dolores?
Et mala plura nouis accumulare malis?
Sanguine si gaudes; satiari sanguine vulgi
Debueras, præda est aptior illa tibi.

THO. DVGARD *in Art. Mag. ex*
Æde CHRISTI.

HENRICVS princeps tria munera sustinet vnus,
Verè patronus, dux, dominusque fuit:
Felicem doctis se præbuit ille patronum,
Nobilibus dominum, militibusque ducem.
Multa quidem doctum fecit doctrina patronum,
Maiestas dominum fecit, et hasta ducem.
Ergo turba dolet triplex; schola nostra patronum
Deplorat, dominum curia, castra ducem.

Triplex HENRICO regnum non sufficit vni;
In cœlis quartum quærit, et illud habet.

Nemo

Nemo senem celeri miratur morte perire,
Nam non est grandi mors violenta seni,
Ergo huius celerem mirari desine mortem,
Est annis iuuenis, moribus ille senex.

THO. WOOD. *Art. Baccal. Noui Coll. Socius.*

SI natura negat, versus dolor ipse ministrat,
Nescius in læso delituisse sinu.
Ille dolor pius est, audet qui rumpere claustra
Pectoris angusti, nec sine teste stupet.
Ille licet verè doleat, qui flet sine teste,
Ingratus tamen est, nec pius ille dolor.
Prodeat in lachrymas, et, noster, carmina, luctus;
Et properet, claudo vel pede, noster amor.
Dignus es (O HENRICE) pio, veroque dolore,
Et docto; (res est ingeniosa, dolor.)
Sit verus, doctusque, aliorum, in funere, luctus;
At poterit verus, noster, et esse pius.

GVILL. MAXEY, *Magister Artium ex Æde* CHRISTI.

QVis mihi cõtribuat lachrymas? quis lumina fletu
Perfundat: madidas suppeditet-ue genas?
Irruat in nostros oculos Heliconius amnis,
Non satis in lachrymas fons Heliconis erit.
Huic mare se iungat, fluctus tamen iste marinos
Ebibet, & faciet flumina sicca, dolor.

Ah

Ah perij! quid plura loquar? nimis vnica vox est.
Quàm pungit, lacerat, quàm ferit hoc Perij.

HENRICVS-FREDERICVS.

Nomina binorum Regum tibi homine in vno?
Vnus multorum scilicet instar eras.
* Sæpius HENRICI nomen fatale fuisse
Experta est damnò Gallia mœsta suo.
Noluit HENRICO mors parcere, parcere saltem
At poterat Princeps O FREDERICE tibi.
Ictu vno plures, ictu hoc nos perculit omnes,
Quèis fuit illius clausa salute salus.

* *In Henrico secundo, tertio, et quarto.*

IOANNES HEATH *Art. Baccal. Nouæ Coll. Socius.*

MErcurius teneris gestat talaria plantis,
Posset vt æthereas ire, redire vias.
HENRICVS posuit latas in vertice plumas,
Forsitan vt peteret sydera summa citò.
Si positæ sursum tendunt in vertice plumæ,
Donentur serò (CAROLE parue) tibi:
Sin citò donentur, ne sint tibi signa *Volanti*:
Sæpe triumphantis sint rata signa tibi:

THO. GRENT *Art. Baccall. Nov. Coll. Socius.*

F Cur-

CVrritur, & toties per aquam succurritur igni
Vrbanas quoties depopulatur opes.
Ad bustum commune hodiè concurrimus; & iam
Officij laus est edere signa pij:
Ecce duas stillas ad bustum gesto; doloris
Altera, Castalij est altera fontis aqua.

THO. CHAVNDLER *Art. Bacchal. Novi Colleg. Socius.*

SEcuri expectate CAROLE, subitasque ruinas,
Nec nisi funeribus terra, freumque vacet.
Iam dedit humano generi non posse timere,
Non ultra posuit Parca maligna suum.
Quicquid agis, pietas posthac, virtusque vocetur:
Imò sit hoc vnum, non perijsse, nefas.
Fortis erit, si quis iam possit viuere; cœlum,
Et lucem, & famam *Principis* vrna capit.
Exilium est, quodcunque extra: latet orbis in isto
Puluere, & hic metam gestit habere suam.
Nec mirere, ferat secum si mortuus orbem,
Mille orbes animo ceperat ante suo.

BRIANVS DVPPA *Art. Bacc. Coll. Omnium Animarum Socius.*

LVgeto mecum, nobilis *Anglia*;
Lugeto mecum, *Scotia*, *Wallia*;
Lugete, qui *Parthis* (*Hyberni*)
Aufugitis leuiore gressu.

Hun-

HENRICVS, heu, flebilis omnibus,
HENRICVS (infandum!) occidit, occidit,
Spes omnis et fortuna Regni,
Deliciæ populj & Parentum.
Effunde triſtes, *Melpomene* modos,
Nec læta laurus tempora veſtiat.
Mutatur in luctum triumphans
Anglia Principe corruente.
Anglis diebus crebra *Nouembribus*
Solemne quondam gaudia ducere.
Eliſa ter felix ab iſto
Cœperat imperitare menſe: 17. Nouemb.
Dirumque nobis quod malè texuit
Cæcis in antris exitium *Papa*,
Detexit è ſummis in iſto 5. Nouemb.
Arcibus ipſe IEHOVA menſe.
(Natura nulli perpetuò dedit
Gaudere, ſed ſunt triſtia gaudijs
Permixta; nunquam æterna, rarò
Gaudia longa hominum fuerunt.)
Nunc, qui *Britannis* fauſtus erat prius;
Dicant nefaſtum poſtera tempora:
Dicantque funeſtum *Nouembrem* 6. Nouemb.
Principis interitu dolendo.
Seu Scorpio illum, ſiue Sagittifer, *Sol enim in duobus biſce ſignis per totum Nouembrem commoratur.*
Ad nigra lethi limina duxerit;
Hic vulnerans caudâ malignâ,
Ille necans iaculiſque, et arcu.
Vtrumque nobis mirifico modo
Inuidit aſtrum publica gaudia:
Nec fiuit in lucem ſequentem
Gaudia continuare cœpta.

Nonæ *Nouembris* lætitiam dabant;
Sed, quæ sequuta est, crastina lux solum
Priuauit HENRICO Dolete,
Anglia, Scotia, Walli, Hiberni.

L'Angleterre à la France.

OR sus, la France, *terre ores plein de mal-heurs,*
Si encore n'avez fait fin à vos douleurs;
Nous recommencerons, et ioindrons cris à cris,
Et men'rons mesme dueil pour la mort des HENRYS.
Toy pour HENRY *le Grand, nous* Anglois *pour le nostre,*
Qui en espoir au moins surpassoit loing le vostre.

EDVARDVS à MEETEREEN. *Æd. Chr. Oxon. Alum. Baccal. Art.*

HEu! quis plena satis furioso verba dolori
Suggeret? aut dignas effundet clade querelas?
Tristior ipse suis miratur Thamisis vndis,
Ambitione nouâ notas præcedere ripas,
Cum lachrymis auxisse aquas: et morte recenti,
Luctibus exiguos iussisse crescere fluctus.
Quis nouus, externas affini commodat vndas
Affinis Rhenus: geminum committitur æquor
In lachrymas, geminũ in lachrymas nec sufficit æquor
Heu, cecidit! nec adhuc diræ prænuncia cladis
Horrida monstrosos inducunt omina partus:
Omnia naturæ contraria legibus isse
Debuerant, nullum, aut non vnum cernere Phœbum
Terra: nouos ignes, Cæli, crinesque timendos,
Et quæcunque mouent non sani murmura Cæli:

Immotus ſtupor, et longæ conſtantia noctis,
Iuſſiſſe æternas mundum ſperare tenebras:
Debuit ira Dei patuiſſe, et damna futura
Saltem præſciri: tacitè, nulloque tumultu
Non decuit tantum ad ſuperos aſcendere regem.
En; totis noſtri concuſſis Viribus orbis,
In commune peris: quoties nos fata laceſſunt,
Hàc iter eſt fatis: alieno ducimus ore
Mendicatam animam; viuis, vel millia vulgi
Te moriente mori, mors Principis vnica cogit,
Et caput occiſum truncas occidere partes,
Relliquias mortis. Lacheſis non ſtamina ſcindat,
Sed rumpat properante manu: det poſſe perire,
Permittatque mori properantia millia plebis:
Confundat mortes, et tanto funere dignas
Miſceat exequias: ſæua eſt clementia, tantum
Cum iubeat funus, perituro parcere vulgo.
Nec Cœlum repetiſſe ſuum, melioraque regna
Regia maieſtas, nullâ ſtipante caterua,
Debuit. (aſtarent fidi vel morte miniſtri)
Nec tritam calcare viam, quam turba ſolemus,
Quam viles animæ, ſed mortem authore leuare.
Scilicet illa lues plebeio ſanguine veſci
Debuit, et ſacros non tangere Principis artus.
Perfida mors, mortisque parens, ah, perfida febris,
Ergone tam nullas præſtant medicamina vires?
Numina nulla piis medici naſcuntur in hortis,
Quæ celeres Fati poſſint inhibere volatûs?
Nec Lacheſi inuitâ labentes prorogat annos
Herba, aqua, vel cui iam veneranda inſcitia, fucus,
Mendaces vacuâ titulos in pyxide ponit?
Nec febris flammas, medicorum extinguere fontes,

Nec flumen vitalis aquæ: iam funera plebis
Dediscat febris, iam fiat publica clades,
Quæ fuit vnius: lapides et tela Deorum
Vnica febris erit: nec mors iam currat vbique,
Nec fatum mortis, se fato immiscat omni:
Mille vias lethi fatum breue cogat in vnam,
Et velit hâc vnâ mundum perijsse ruinâ:
Sit febris quodcunq; malum est quodcunq; timetur:
Omne genus morbi sit febris sola: tuumque
Æternum (medicina) probrum: detexit inertes
Sola tuas artes, et laruam sola retraxit,
Quâ stulto imponis populo, sed stultior ipse.
At viles, inopesque animas, ludibria fati
Quarum nec Lachesis sopitâ stamina dextra,
Quarum felici morti, miseræque saluti
Nunquam fata vacant, sed vestræ lusibus artis
Vilia neglectæ credunt arbitria lucis:
Corripitis (medici) et trahitis discrimine nullo
Et mortis vitam indulget præposterus, illis
Vester amor nimiam: vestris reuocatus ab herbis,
Ecce impunè diu cælestem prouocat iram,
Et videt inuito redeuntia, tempora cœlo,
Debebat quicunque mori: dediscitis artem
Cum reperit dignos, et solâ strage periti
Artifices mortis, iustos occidere, tantùm
Et reges nôstis: spes posthac nulla salutis
Sit (medicina) tibi, nisi cui spes nulla salutis.
Candidus interea miratur limen Olympi
HENRICVS, simul HENRICVM miratus Olympus,
Et vidit gaudente polo, qui funere terræ
Lætior, in nostrum lucratur gaudia damnum.
Assurgunt reduci Sanctorum turba minorum,

Et

Et maiorem animam ſancti venerantur cuntem
Progeniem regis: gratatur regia turba
Longa HENRICORVM ſeries, Nonumque ſalutat
HENRICVM in Cælis: qui noſtri ludicra regni
Æthereâ ridet, ſimul et miſeratur, ab aulâ.
Diſcedenſque ſuas geminat tibi (CAROLE) dotes,
Primus eris nobis, et mundo (CAROLE) Magnus:
Serior in Cælum redeas, et tempore longo
Viue tuo, fratriſque tui, tunc tempore Viue.
Macte (Puer) macte, et plenis Virtutibus æqua
Fratrem, ſed Fratrem Virtutum tempore vincas.

Non indecoro flumine ſordidum
Videre regni iam videor patrem;
Omneſque vultus (ah) Britannos
In ſimiles abiiſſe luctus.
Vnius oris lachryma lachrymas
Expreſſit omnes, obrutus obruet
Iacobus: immerſuſque noſtro
Diluuiem minitatur orbi,
Sed lachrymarum. Scilicet irruunt
Regum dolores in proprios greges;
Et damna regi perferenda,
Sunt miſeræ geminanda plebi.
Iam nunc iuuentus, et patrius vigor.
Dignuſque tantâ ſtirpe, vicarios
Promiſit HENRICI labores,
Et patrias recreare curas.
Nondum maritus, cùm patriæ pater:
Natus IACOBI, ſed patriæ pater:
Natum IACOBVS, ſed IACOBI
Terra, dolet cecidiſſe patrem:

Mul-

Multùm loquatur, sed stupeat magis,
Exesa curis interioribus.
Addat laboratos dolores,
Et lachrymas operosiores.

NICOL. GRAY *in Art. Bacch. ex Æde* CHRIST.

FVndant infausti suspiria dira *Britanni*:
Inuoluant miseri morientia corda dolores,
Cunctaq; iam pereant; neq; enim iam vita misellis
Tuta manere potest, si tantus vulnere Princeps
Infesto cadat: heu palmam tibi ferre licebit
Mors impunè? ducem si tollas cum grege, nullam
Mortales possunt miseri sperare salutem.
O rerum, fatiq; vices: sententia mentem
Sæpè mihi dubiam distraxit, an vllus inesset
In mundo rector, malà sic sors cuncta tenebat.
Quid prodest HENRICE fides? quid cura cohortis
Indefessa tuæ? ciues habuisse fideles?
En nunc desolata iacent, euersaque cuncta,
Sic sic fata volunt, nimis heu crudelia fata.
Non indigna tulit pauidus spectacula *Phœbus*,
Et scelus aspernans, sub opaca nube, coruscos
Obtexit radios: credas (si non scelus esset)
Penè ipsos latuisse *Deos*, & numina cœli.

GVLIELMVS IAMES, *Bacchalaureus Artium, Ædis* CHRISTI *Alumnus.*

Si

SI bene diuisit mundi *Tribonius* annos,
Augur inundantis nec sit ineptus aquæ;
Siue erit æquoreis, siue ex cœlestibus vndis,
Hoc anno, nescit, quis *Catachysmus* erit.
Et nimis est verus diuisor, & augur habendus,
Namque ingens nobis, en, *Catachysmus* adest.
Nec tamen æquoreis opus, aut cœlestibus vndis,
Flumina nam madidæ dant satis ampla genæ.
Principe defuncto, lacrymarum funditur æquor,
Deucalionæas quod modò vincet aquas.

In Principis Symbolum
Ich Dien.

PRæpropera quamuis Princeps sit morte peremptus,
Credibile est ipsum sic voluisse mori.
Seruus erat viuus, quamuis & regia proles,
Atque *hæres* regni (magne IACOBE) tui.
Mortuus at regnat, supera dominatur in aula;
Iamque potest cœlo liberiore frui.
En bene quàm vitam morte hâc mutauerit istam!
Rex etenim morte est, qui modò Seruus erat.

GVILIEL. MOORE *Art. Baccal. Non. Coll. Socius.*

NObilis aulelli non sic potes vmbra, sepulchro,
Insidet hæc pietas non remouenda tuo;
Ingeminat tristi miserandas voce querelas
Luctu, quodque deest carmine, supplet amor.

HENRICVM vivum dilexi, diligo ademptum,
Si præter nomen nil manet, illud amo.
Viuenti qui magnus erat, fit maior adempto,
Nec magè decreſcit, ſed magè creſcit amor.

WARNERVS SOVTH *Iuriſta*
Nov. Coll. Socius.

FAma tuæ mortis magnum perterritat Orbem,
Funera nam quis non credit adeſſe ſua?
O vtinam detur, vel vt ipſe diutiùs eſſes,
Teque habuiſſe ſemel, teque habuiſſe diu.
Quiſque ſuos patimur manes, tua fata ſubire
Nos iuuat, inque tuum præcipitare rogum.
Si cum *delirant reges, plectantur Achiui*,
Victima pro populo cur cadis ipſe tuo?

QVid facitis? tantæne animis cœleſtibus iræ?
Vix proceres tanti noſtraque *Troia* fuit.
Diſtrahitur mens noſtra, ſtupens diſcrimine tanto,
Neſcia tam dirum quid vocet illa malum.
Exitium? Interitum? Iacturam? Damna? Ruinam?
Credo equidem noſtri eſt alea iacta mali.

FRANCISCVS LANCASTER
ex Ædc Chriſti Bacc.

SI pro te, *Princeps*, mortem ſubijſſe liceret,
Mille modis vellem, ne morerere, mori.

Sed

Sed quia non licet hoc, ego mortis mille dolores,
Quos nequeo pro te corpore, mente feram.

COntigit ante diem virtus tibi, Maxime *Princeps*,
Mors quoque sæua tibi contigit ante diem:
Nempe ea, maturos cum cerneret inuida mores,
Quem iuuenem rapuit, credidit esse senem.

QVòd Deus HENRICVM sibi vendicet, haùd ego mi-(ror:
Nam primogenitos ipse ait esse suos.

REges esse Deos, Deus asserit ipse: quid ergo?
Nonne immortales hos quoque iure putem?
At quoties video Reges ego morte subactos,
Cogor eos toties esse negare Deos.
Quamuis esse Deus nequeas mortalis, at idem
(*Princeps* magne) potes mortuus esse Dei.

FRANCISCVS MARKIN *Iuriſta*
Nouæ Coll. Socius.

QVis mortis horror funebri triſtis face
Terret *Britannos*? quodue curarum premit
Lethale pondus? Siſte graſſantes, precor,
Fatum ſagittas; vindicem cohibe manum.
Et, quos iuuare renuis, vlteriùs malis
Obeſſe noli. Luctui poteris parum
Afferre noſtro. nam quod horreſcet nefas?
Quodnam doloris metuet infandi genus
Pullata tellus? quæ, quod audire eſt metus,
Inuita ſentit: maius & patitur malum

Quàm quod timeri potuit, HENRICI necem.
Eheu salutis columen & rerum decus
Britannicarum: cuius audaci pede
Promota virtus acre præuertit senum
Iudicium, & omnes vicit annorum moras.
Qui spem Parentum, Plebis augurium, preces
Procerumque superans vota, maturè bonus
Et, qualis vnquam potuit optari, fuit:
Perijt: maligno nesciam fato premi
Efflauit animam. Vile sarcophagum capit,
Quod vasta tellus, Pontus, aut Aër pati,
Nec potuit ingens Orbis, HENRICVM capit.
Tristis Nouember peperit infandum scelus,
Quod parturiuit, quodque ferali sinu
Gestauit olim, Principis clade edidit.
Qui pullularitis passus Autumnum spei,
Iam penè didicit, antequam vixit, mori.
Sic ludit homines Parca, quod dextra dedit,
Manu sinistra tollit, & fallax bonum
Reddendo retrahit! Ecce, qui seros dies
Et deuolutas crebrò lustrorum vices
Numerare canus debuit, properè senex
Te (trux *Nouember*, dira monstrorum parens!)
Agnoscit æui te Climacterem sui.
Sed luctuoso quid iuuat questu malum
Grauare nostrum? Gelidus Anglorum timor
Peruasit artus, quodque in extremis solet
Dolor obstupescit. Lachrymæ torpent genis,
Et, quæ *Britannos* obruunt passim sinus,
Tumidumque paruâ ex insula faciunt salum,
Tristes recluso fonte cataractæ rigent.
Non vna tellus, non Heraclitus tuas

Lugere

Lugere solus impari planctu potest,
HENRICE, clades. Ecce quærendi noui
Comites dolorum, iamque ferali tuba
Centrum ciendum restat, vt gentes feræ,
Vt mortis *Atlas* sentiat pondus tuæ,
Et occidisse Principem Mundus sciat.
Perge ergo, luctus, perge quâ Cœlum Polus
Vterque pandit, quaque tellurem fretis
Glauca Amphitrite cingit, & Phœbi rota
Furuos rubenti tingit *Æthiopas* face.
Quà terra patet, & pallidum præbet iubar
Triformis Hecate. Nescit Herculeus dolor
Arctos Britannæ terminos gentis pati.
Vult hæc vagari cura: nec in vno potest
Tantæ ruina cladis abscondi locô.

HENRICE exiguâ iaces quòd vrnâ,
Et totâ moreris dolente terrâ,
Non miror. Properè mori decebat,
Cui nil longa dies datura maius,
Nil sors. Parca sacrum penu fauorum
Exhausit, meritò hoc bonum supremum
Concedens tibi, quòd Diem supremam,
Et Natura suis profusa donis
Cùm plus non potuit, dedit sepulchrum.

HENRICVS KING *ex Æde Christi Oxon. in Art. Bacch.*

ERgo immerentem perpetuus sopor
Vrget? iuuentæ nil valeat decor?

Nil sacra maiestas, nec ingens
Spes hominum comitata votis?
Dictent Camœnæ carmine flebili
Scribenda *Cea* munera næniæ:
Arx firma gentis, *Phœbus* orbis
Occidit: & rutilans ocellus.
Annè æqua seruis terra recluditur,
Regumque natis? serius ocyus?
HENRICE, sic fas est perire
Delicias patriæ, & parentum?
Dat Musa vitam: fata verant mori
Nomen beati: quin potius fugit
Terras, vt ascribi quietis
Ordinibus liceat & Deorum.
Cœlo receptus *Diuus* habebitur.
I nunc, secundo lætior omine,
Et *Principis* tanti sepulchro,
Sculpe diù memorem querelam.

Σ[illegible]
[illegible]
Ἐ[illegible]
Κ[illegible]

DIffusa populi fama per linguas means,
Quid suspicatur toxicum, & sæuos refert
Succos veneni? Mortis & plures vias
Quàm membra numerat? barbarum, & tantum scelus
Quis ausus vnquam? *Clodium* superet licet
Sociosque, quisquis *Principi* mortem struat.
Fatale morbi virus in præcordijs
Modò æstuabat: morbus is regni fuit.

Et iam laborat febre gens, mortem timens.
Quem, nec superbæ *Cerberus Romæ* triceps,
Gregesvè calui, nec *Thyestea* preces,
Domare possunt; febris hunc letho dedit.
Atquì exhibetur nota vis in lectulo,
Æquè ac in armis: fortis apparet febre.
Quòd si refingi posset incude hic nouâ,
Æquaret imis summa, summis infima:
Hostesque victor funderet patriæ suæ.
Sed hunc alumnum Martis & belli ducem
Dissoluit ardens igne triduano febris.
Hinc fata culpat turba: quòd iuuenem prius
Strauere magnum, quàm capitis habuit niues.
Non qualis ætas; respicit metam *Deus*:
Fatique summum qui videt, moritur senex:
Hæc est senectus, posse non plus viuere.
Et credo, *Parcas Principem* certo malo
Subtrahere: si non alteri, rugis tamen.

In quintum & sextum diem Nouemb.

R*omulus* infaustâ menses superaddidit horâ:
Ingenijque fuit triste, *Nouember*, opus:
Et *Numa* terdenos malè Soles: rectius esset
Si voluit binos ille negare dies.
Penè fuit celeri letho *Rex* proximus. O si
De Nato liceat dicere, *Penè*, mihi.

IOHANNES KING *in artibus Bacch.*
Ædis Christi Oxon.

Eheu

EHeu! quàm subitò pereunt mortalia casu?
Improba quàm latum mors moderamen habet?
Reges, & regum proles, regna ipsa peribunt:
Et nihil est, quod non morte iubente ruat.
Anglica subductam senserunt regna columnam,
Principe defuncto, iam ruitura gemunt,
Deliciæ mundi periere & gloria terræ,
(Quid magis hoc dici possit?) imago patris.
Iam tumuli lapides, &, quæ tegit ossa gemiscit
Terra, suum sentit nam perijsse decus.

THOMAS GILDAR *Bacc. in Art. ex Æde Christi.*

PIerios lacices non inuoco more Poetæ;
Vndarum, ex oculis quod fluat, opto mare.
Ille celebrabit vero tua funera luctu,
Saxeus vt Niobe, qui silet, atque stupet.

MATTHEVS COLEMORE *Art. Bacchal. C. C. C.*

QVid fles *Terpsichore*? quæ tandem damna tulerunt
Quodue malum superi? tu quoq; flere potes?
Dic mihi quæ tanti tibi causa doloris? Apollo
Mortuus? an quisquam charior? ede precor.
Quid muta? elinguis, quæ reddis sæpe loquaces?
Omen triste nimis: me quoq; flere facis.
Quis tamen ille tibi tantum dilectus? at illum
Quis nescit? cuius nomine terra minor.

Nec

Nec mirum inuenis terras quod liquerit, orbes
Quem, capere innumeri non potuere, senem.

ANDREAS SONNIBANK *Art. Bacchal. ex Æde Christi.*

NObile succisum Regis de stipite germen
Solamen renuens *Anglia* mœsta gemis:
Vota tibi potiùs sunt persoluenda Tonanti,
Quòd non hæc ramo stirps pereunte perit.
Annuat, ô, Cœli moderator, germinis huius
Possit vt in stirpem vita redire suam.
Sic longum poterit proprio florere vigore,
Forsan & in ramos luxuriare nouos.

MATTHIAS NICOLS *Iurista Noui Coll. Socius.*

QVi voluit reddi, quæ Regum, Regibus, ille
Iure suo Reges vendicat esse suos.
Quin tu igitur felix, *Princeps* dignissime, quem sic
Quum caus esse nequis, vult Deus esse suum.

IOANNES COLE *Art. Bacc. Noui Coll. Socius.*

NVnc tandem *Heliodum* fraternâ morte sororum
Credo populeis tempora cincta comis.
Nam tua plorantes, ô *Princeps*, fata videmus
Sic quoque *Phœbas* diriguisse *Deas*.
Turba olim facunda, silet, vel pauca loquuta,
Cætera cum folijs murmurat ipsa suis.
Ora superducto velans morientia libro,
Vt ramos, tremulas tollit ad astra manus.
Desudat gelido spissum de pectore rorem,
Non iterum celeres apta mouere pedes.
O & perspicuo distillans lacryma fletu,
Luceat vt tumulo succina gemma tuo!

RICHARDVS ZOVCH *Iurista*
Noui Coll. Socius.

REgia qui nequijt subsellia *nouus* adire,
Credibile est sphæras præterijsse *nouem*.

PArcite crudeles, nec contumulate cadauer:
Plus satis est animâ nam caruisse mali.
Contumulentur humo, pro corpore, carmina nostra:
Quæ meruere rogi, non meruere logi.

IOAN. WILLIS *Art. Bacc.*
Noui Coll. Socius.

QVi dat secundis credulam rebus fidem,
Deamque sperat mobilem, semper bonam,
Cedete dolori nec voluptatem putat,

Hoc

Hoc ille ſpectet funus, hoc facinus: loqui
Sic, ſic iuuat, quocunque ſit funus modo.
Cum tota plauſu regia infremuit domus,
Et feſta læti cantica *Hymenæi* audijt
Oceanus vndiquaque, geniales thoros
Rheno ambiente *Thameſis*; en cum publica
Lætitia ſeſe in pegmata effuſam cupit,
Conuiuia, haſtiludia, celebres choros,
Sic, ſic triumphante Inſula, in luctus damur
Miſeri profundos; maximo obruimur malo:
Quo vel potentis nutat imperij ſtatus.
Heu lumen Aulæ, patriæ columen, decus,
Amorque populi, Regiæ propaginis
Dimidia pars & melior, HENRICVS ſoli
Clarum *Britanni* ſydus (heu) letho datur.
Cur viuitur ſpe perdita vitæ? dolor
Adéſne lentus? totus in vultu ſede.
Lachrymæ negantur funeri? nullas habes
Naturæ? nullus luctus? Admotas manus
Altum hoc recenſque vulnus haud ſentit? retrò
Natura verſa eſt, factaque ex matre impia
Nouerca, ſi, quod perditè adamari imperat,
Id neutiquam, cùm perditum eſt, fieri ſinit.
Fluite ergo lachrymæ, fluite non iuſſæ, tamen
Iuſtæ; nec vt quas vxor optat in viri
Rogo exprimit, ſed chara quas mater piè
Inſtincta gnati fundit in buſto vnici.
Tales fluite. Nam gratiam haud captant leuem,
Haud obſequuntur tempori, non commodum,
Non gloriam, ſolamen ex luctu petunt.
Sed fruſtra hoc. Ætas nulla cum damnum queat
Rependere, an erit vlla, quæ luctum leuet?

Hæc vna nobis dempſit infelix dies
Plus, quàm priora ſæcula dederę omnia.
Iactura maior, quàm vt reſarciri queat,
Niſi fratre in vno. Solus hic damnum leuet,
Et, ſcio, leuabit, fata ſi vitam dabunt,
Sic ortus eſt, ſic doctus. At fratri dedit
Frater ſalutem. Caſus HENRICI docet
CAROLO timere: omen ſed hoc in hoſtes cadat.
Gens hæc togata fata meliora à Deo
Poſcit; meretur CAROLVS, & meritò feret.

IACOBVS GERRARDVS *Art.*
Baccal. ex Æde Chriſti.

SCotia, quæ genuit te quondam, maxime *Princeps*,
Optabat manibus ſceptra dediſſe tuis:
Anglia, quæ vidit te primo in flore iuuentæ,
Nomina nominibus plura dediſſe tuis:
Quæque dedit titulos tibi, *Princeps*, *Wallia* primos,
Optabat titulos multiplicaſſe tuos.
Regna licet dederint tibi ſe tria iuncta, videris
Cœleſte his vnum præpoſuiſſe tribus.

SParſa per innumeras cum ſit tua gloria gentes,
Notaque ſint animi plurima dona tui,
Cumque tui tituli pariter cum corpore creſcant,
Famaque per mundum creſcit eundo tui:
Nil niſi magna viris cum tu promittere poſſis,
Princeps à populo cur fugis alme tuo?
Alter habendus erat tibi mundus & altera ſedes,
Scilicet in terris non fuit ampla ſatis:

Si

Si non ampla satis fuerit tibi (Maxime) sedes,
Carole, qui superes, quid tibi sedis erit?
Alter habendus erit tibi mundus, & altera sedes;
Est Deus è vobis alter, & alter erit.

Lavncelotvs Warnbford
Iuristæ Neu. Coll. Socius.

OBstupuêre olim te, *Princeps*, sæcula patrum,
Qui *Niger*, haud falso nomine dictus eras:
Teque Henrice stupet magni pars cognita mundi,
Pectore quo nemo *candidiore* fuit.
Quamuis ille *niger*, quamuis tu *candidus* esses;
O par, cui nullos est reperire pares!

De domo sancti Iacobi in qua mortuus est.

IAcobi domus est in quâ cadis; ipse Iacobi
Qui cadis, heu fueras pars magis ampla domus.
O si tu stares, *Priamiq; arx alta* maneres:
Mille domus ruerent hac ego lege velim.

Apostrophe ad Comitem Palatinum Rheni.

ADuentum doleoq; tuum, & congratulor vnâ;
Tam tibi faustus erat; tam tibi mœstus erat.

Vidisti Henricum; quis te felicior alter?
Dignus, quem extremus viseret orbis, erat.
Hunc audisti, quàm iam miser esse videtur?
Dignus, quem totus plangeret orbis, erat.

IMmatura tui non miror funera, *Princeps*,
Maturâ talis mortua perire nequit.
Si tibi Nestoreos tribuisset Iupiter annos,
Immatura tamen tunc quoque fata forent.

IOANNES RICHARDS *Art. Bach. Novi Coll. Socius.*

AGrediuntur opus pulchrum, sed viribus impar,
HENRICVM versu qui celebrare parant.
Cuius laus totum diffusa perambulat orbem,
Quinque aut sex spatio clauditur ille pedum.

THOMAS MERRIOT *Iurista Novi Coll. Socius.*

Ad vtranque Academiam.

PVllatas gestet vestes soror vtraque. Granta
Induat illa suas, Oxonium que suas.
Fautor Musarum periit, cuius Principe tanto,
Defleat amissum turba togata ducem.

Ad Serenissimum Regem.

QVàm meritò Nati ploras crudelia fata!
Dimidiam partem sumpsuere tui.
At prudens discas nimios compescere luctus:
Vtraque pars nimio læsa dolore perit.
Actum est de vita, si partem perdis vtramque:
Actum est de regnis: sis memor ergo tui.

THOMAS WILSON *Bacc. Art. ex Æde Christi.*

IAm satis est (æterne Deus,) satis *Anglica* tellus
Iam fuit iratum lugubris scena tuarum:
Multa tulit, miseranda tulit, tulit aspera multa,
Asperior tamen hic casus fuit omnibus vnus.
Tristis erat quæ tot cumulauit funera pestis;
Tristis erat quæ tot per oppida sæuit ignis.
Tristis qui super alta tumebat littora fluctus:
Tristior hic casus vel Peste, vel Igne, vel Vndâ.
Terruit immodicis bacchata caloribus æstas:
Terruit horribili deuincta que frigore tellus:
Terruit insolito rubefactus sanguine Pontus:
Huic cedunt frigusque, calorque, cruorque dolori.
Hoccine mirandus prædixit in æthere fulgor?
Hoccine præmonuere modis currentia miris
Nuper in irato flammata hastilia cœlo?

Quid-

Quid? morietur? & ô cœli pugnabitis? ergo
Cedimus: æternum, vale, vale inclyte *Princeps*.

QVicquid erat Regi, præter diadema, decorum
Quicquid erat dignum, nobile quicquid erat,
Pectore iamdudum radiabat id omne sub isto:
Defuit (ah) sanctis cui diadema bonis?
An quia Iustitiæ diuina Corona videtur,
Tam sanctum melius posse decere caput?
An quia Dij cupiunt nostro diadema IACOBO
Orbis ad extremum perpetuare diem?

IOANNES SOVTH *Iurista*
Noui Coll. Socius.

Numero Deus impare gaudet.

HENRICVS regno huic nonus fuit ille futurus,
Morte immatura sed cadit ante diem.
Nec mirũ: hoc voluit numero Deus impare gaudens,
Hunc igitur nonum gaudet & esse suum.

QVid regni vita est? Rex. Regis vita quid? Hæres.
Sed perijt? non sic, CAROLVS ecce manet.

MICH. READ *Linc. Coll.*
in Art. Magister.

SIccine crudeles *Parcæ*? crudelia fata?
Nil lachrymæ? nil vota? preces? nil ordo? nec ætas?
Nil pietas mouerant? mouent vel cura tuentis
Imperij, *Atlantis* ceruix quum decidet vno
Ictu? totq; animas animâ perdetis in vna?
Quanta fuit tibi mors audacia? nomine tantus
HENRICI nomen poterat terrere, quid vltrà
Irruis? in lecto cur opprimis? I pete campos,
Non audet, timet ipsa fugam, vel pronida, mortem.
Pascitur in Diuis liuor? mortalibus ægrè
Permittunt bona? num timuit *sua Iupiter* astra?
Num nimis esse potens superis hæc insula visa est,
Si steterat Princeps? propria hæc si dona fuissent?
Nil erit vlterius quod nobis serior addat
Posteritas, quid vita potest jam vidimus, & nunc
Tristi hoc exemplo, quid mors valet ipsa videmus.
I, sæui, atq; nouas moueas licet vndique turbas,
Quantũ hinc imminues? quantus de vulnere sanguis
Exibit? nostræ nunc sunt hinc sanguine venæ,
Vita est nulla, vnumq; famus quasi funere, funus.
Num satis ostendi terris? satis illud oriri,
Et cadere? extingui cum jam luce cœpit?
Quantum hoc inuidiæ? non vltrà fata sinetis
In terris habitare *homines*? nullo mortuus ille est
Cum patre *Saturno*? quod nostrum quæritis, alto
Qui regat in cœlo, & vestro dominetur Olympo?
Non erit hâc nostrâ quisquam de Gente, Britannos
Qui tantâ spe tollet auos (dulcissime Princeps)
Sic capias lachrymas, sic verba nouissima, verba
Vt summæ laudis, sic summi plena doloris,
Tu *Marcellus* eras, sic mors, sic vita peracta est. *Virgil. 6. Æneæ.*

QVid hoc? *Iambos* ſcribimus? quid vult noui
Inſolitus iſte verſus? anne odium canit?
Odium perenne, pace ſublatâ, canit.
(Horreſco referens) Principem noſtrum ſibi
Rapuere fata, bella, tormenta, & minas
Parate Muſæ, linquite hunc placidum ſtylum,
Titulumq; veſtris rebus æqualem, nouum
Induite nomen, nomen hoc quàm vos decet
Furia? doloris quanta pars noſtri eſt furor?
In mortem *Iambos* ſcribite, in mortis necem.
Reuocare forſan *Principem* vobis datur
Iugulando mortem, tela ſanguinea, effera
Adferte, quid mors? ſpernit, in laudes ſuas
Veſtra odia vertit, jactat hoc facinus, ſuis
Cecidiſſe manibus *Principem* talem, ſatis
Hoc glorioſum: quantus interea dolor
Britanniam totam occupat? tota eſt dolor.
Lapis eſt, & inſtar lapidis aut *Niobes* ſtupet.
Definite *Iambos* ſcribere, hoc carmen decet
Elegia, mundi tota nam facies dolor.

EStné aliquis qui viuit adhuc? quiſquamné ſuperſtes
Tanto defuncto *Principe?* an vmbra ſumus?
Cur non in mortem ruimus? patiemur inertes
Putrida, poſt ipſum, viuere, membra, caput?
Non eſt vita, quibus ſunt gaudia nulla, perempto,
Eſt *Princeps luctus*, Principe, vita dolor.

THO. ILES, *Mag. Art. ex Æde* CHRISTI.

HErôos cineres, & lamentabile buſtum
Principis HENRICI quæ pia terra tegis,
Nec pede te violet livor, dextráve; venenum
Relliquijs affliet nec mala lingua tuis:
Nec ruat hæc monumenta dies, nec ſecula famam;
Stentó; hominum vitii pectora Sarcophagi.

I. SWETNAM, *Æneæ Naſ.*

SVbſiſte, quiſquis es, viator, atque in hanc
Molem Sepulchri intende mœſta lumina.
Ex hoc Sepulchro Numinum diſcas rata
Perſtare juſſa: ſpeſque, quas grex ſomniat
Mortalium, pulchras, opimas, ſplendidas,
Mox vt vocabunt fata, momento levi
Peſſum ire cunctas. Diſce ſupremum diem
Non poſſe quâvis arte, non vi, non préce
Vel amoveri protenùs, nè luceat;
Vel ſummoveri ſeriùs quò luceat:
Vitarier non poſſe, nec tardarier
Momenta fati certa. *Mors* ſiquem modum
Tenere noſſet ſtragis, & non impotens
Eſſet libido funerum; ſi non foret
Occluſa ſemper auris aduerſùm preces,
Vtrumq; clauſum lumen aduerſùm pios;
Perſeq. dextra ſi vel æqualis foret
Minùs, magis vel æqua: non hoc hoſpite
Tanto ſuperbijſſet iſte nunc lapis.
HENRICVS ille (& quantus ille!) cui parem
Non lux videbit vlla, lucem non videt,

Sed quàm est nefas videre mortali viro.
HENRICVS ille, Regiæ lumen domus,
Flos *Anglicanæ* gentis humanæ decus,
Spes magna maximi Parentis, totius
Spes orbis vnus, dignus æternâ frui
Vitæ salute (siquid incoctum bonis,
Inane fraudis pectus intactum malis;
Excelsa siquid illâ in ætate indoles,
Spirânsq; summa mentis immensus vigor
Possent mereri:) præpeti fato jacet
Extinctus, istis triste solamen malis,
Præter perenne fiere, solui in lachrymas,
Nimis seueram conqueri *Parcæ* manum,
Non est relictum: verùm ab ærumnis procul
Is quem dolemus vivit inter cœlites.
Terris ademptus, additus *Principi* polo,
Recludit orbi lachrymas, vitam sibi.

CVr quum privatus moritur natúsve, paréntve,
Fata pater luget prolis, & ille Patris?
At quoties fato decedit publica cura,
Paucorum ex oculis lachryma rara cadit?
An quia nos feriunt ea communùs, eminùs ista;
Communisq; dolor nullius esse solet?
An quia qui stupuit magnis, mediocria sentit?
Iste premit menses, opprimit ille dolor.

ROB. SANDERSON, *in Art. Magist. & Coll. Lincoln.*

HEN.

HENRICVS.
CAROLVS.
ELIZABETHA.

QVæ modo triplo redimita flore
Lilio triplo viguit corona,
Quæq; custodes habuere triplos
Sceptra Leones.

Illa jam, primo viduata flore
Lilio primo, doluit Corona:
Illa privantur queribunda primo
Sceptra Leone.

Lilium rursus jubeat vigere
Qui dedit triplum, numeretq; bino
Tertium, quarto modò qui beavit
Sceptra Leone.

QVi modò ad HENRICI nomen tremuere Papistæ,
His animos nimis heu, fata dedêre novos:
Speq; nouâ turgent, quia *Spes* est non nisi noster
CAROLVS, in tumulo *resq;* sepulta jacet:
Ast frustra; nam nostra modò quæ messis in herba est,
Venturo segetem tempore læta dabit.

I. HYCHENSON, *Art. Mag.*
Colleg. Linc.

QValis *Marcellus*, magnæ ſpes altera *Romæ*,
Abſumptus miſero funere pene puer:
Qualis & *Aſtyanax* ſummâ de turre rotatus
Sanguine fœdavit conſcia ſaxa ſuo:
Talis eras; tali (mirum eſt potuiſſe) prophanas
Non minùs injecit mors truculenta manus.
Ite pij Reges; &, quæ nunc ſola ſuperſunt,
Reddite crudeli Regia membra rogo.
Regali juveni Reges date juſta potentes,
Quanquam, me miſerum! quis dare juſta poteſt?
Flete tamen; licet hoc nequeat compeſcere luctus,
Eſt aliquid Regum commaduiſſe genas.
Et cum ſupremum flentes libâſtis honorem,
O ſpes (ne graue ſit dicere) noſtra vale.
Tu verò ante alios, *Rheni Dux magne*, doleto:
Occidit heu Regni firma columna tui.
Quantum cum cecidit *Græiorum* murus *Achilles*,
Flevit in *Iliaco* littore *Græa* cohors;
HENRICO tantum patriâ tellure ſepulto,
Nobilis *Angliaco* littore *Teuto* fleat.
Vos ego, vos ſævi, crudelia pectora, *Turcæ*,
Crediderim tantis poſſe dolere malis.
Nam quamuis hoſtem, non deſicat hoſtis ademptum,
In tali eſt virtus flenda vel hoſte tamen.
Tu verò infelix terris magis omnibus vna
HENRICI interitum, terra Britanna, gemas.
Nulla tuis vnquam veniant oblivia curis,
Sancentur nullo vulnera tanta die.

I. H. *Ioannenſis.*

TE quoq; , dum properæ mors rumpit ſtamina vitæ,
Materiam voluit carminis eſſe mei?
Haud equidem ſine mente reor, ſine numine diuûm,
Tam citò, tam ſanctum deperijſſe Ducem.
Fallor? an ipſe olim diuûm Pater, atq; hominum Rex
Mortali vetuit te cecidiſſe manu;
Et ſibi (ne tanto jactet ſe vulnere quiſquam)
Occultæ laudes vendicat ipſe necis?

DVlce mori pro te præclare HENRICE fuiſſet,
Sed nec erit poſt te, jam mihi triſte mori.
Poſt te non metuo, pro te mea fata petebam,
Nec poteram moriens, nec potero eſſe miſer.

Debueras Hæres patrijs ſuccedere regnis;
Ante tamen patris regna recepta cadis;
O ænigma tui caſus miſerabile! proles
Prima eſt ad nullum Regia nata Thronum.

N. N. *Ioannenſis.*

DVlcis amor patriæ, fugis hinc? tibi ſecla futura,
(Quæ lætis ſpero auſpicijs, meliora reſurgent
Sub CAROLO) carmen dent, & ſolennia vota.
Nos miſeri, quos tanta tui ſpes decipit, inde
Dejecti exanimes (ſubito quaſi fulminis ictu)
Quod reliquum eſt vitæ, in tenebris luctuq; trahemus.
Oſtendis tantùm terris τεκμήρια tantæ
Virtutis manifeſta; animos & pectora pubis
Angligenæ accendis famæ venientis amore:

Præ-

Præmaturus abis, dolor & decus omne tuorum,
Heu quis nos casus dejectos Principe tanto,
Accipiet? nunquámne animos noua gaudia tangent?
Da miseris (tu qui fulgentem lumine puro
HENRICI servas animam) solatia rursus,
Longævos *Regem* & CAROLVM, ac de stirpe nepotes,
Qui populo dent jura tuo, dent jura *Britannis*.
Alme Pater tribuas, vt qui nascentur ab illis,
Cum sole æquæuum teneant Diadema STVARTI.

GVL. YOVNG, *Mag. Art.*
& *Collog. Linc.*

IAm flere discat marmor, & si quid magis
Durum inveniri possit in lachrymas eat.
Quicunq; *saxa Caucasi* montis gerit
Inclusa duro pectore, HENRICVM gemat.
Ridere posthac sit scelus, mortem luat,
Quicunq; vultu fata jucundo aspicit.

Sophista posthac terminos muta tuos,
Ridere proprium generis humani prius
Fuisse dicas, esse sed posthac nega.
Quo jure si quis quæret hoc factum sint,
Perisse dicas gaudii lumen tui,
Perisse dicas Principem, juvenem, senem,
Et si quid vltra humanum genus, tribuit
Quod possit hominis accidens dici, perit.
Perijt futurus *Nestor* ingenio fagax,
Perijt futurus *Martis* excelsum decus,
Perijt futurus *Pallados* columen Scholæ.

O fata

O fata nimium dura, *Phanicem* vnicum
Auferre vultis? vultis vt speciem eadem?
Natura mater non ferat tantum scelus,
Sol orinur alter splendidum ostendens jubar,
Phœnix secundus, (sit precor nulli tamen
Secundus) vnum omnium nomen suo
Addatur, & qui CAROLVS interdum fuit,
Magnus vocetur CAROLVS, & terræ Deus,
Viuatq; in æternum insulæ *Anglicæ* decus.

EPITAPHIVM.

QVeris in hoc quis sit tumulo, nemo, Herculè nemo.
Nemo etenim HENRICO par similisve fuit.

A. L. *Iohannensis.*

CVr subitum diri non portendêre Cometæ
Principis interitum, noscere forte cupis.
Fallor? Mors metuit, nè, si præmonita signa
Monstraret, precio, vel prece, victa foret.

Fr. ALLEN *Coll. Limens.*
in Art. Bacal.

O Multis memorande mihi, memorande *Britannis*,
Nominibus, Princeps, Dux, Patriæq; decus.
Te generis, gentisq; tuæ, dum viueris, omnes

Vno dicebant ore fuisse jubar,
Accreuit cum ætate tua laus Principe digna,
Accreuit magnus *Martis*, & Artis amor.
Pectora cui *Pallas*, cui *Mars* frontémque manúmque
Contulit; extinctus quàm citò morte jaces?
In laudes sat erant pietas, prudentia, mores:
Attamen his *Parcas* parcere posse negant.
Cessisti hic magnis, maioribus inde potitus:
Sic tibi dura fuit mors, tibi fausta fuit.
Sat tibi, satq; Deo vixisti; non satis orbi:
Vixisti *Angligenis*, *Scotigenisq;* parùm.

GVL. OSBERNE *in Artibus Baccal. è Coll. Lincoln.*

AT ô *Deorum*, quisquis in cœlo regis,
Quid, ô quid ista turba? quid dubias faces
Vbique quassant? *Thalamus* aut *Tumulus* datur?
Tumescit animus, grande præsagit malum,
Audita vox est: Columen euersum occidit,
Decusque nostrum, cœlitum egregius labor.
Potuitné febris, potuit hic vitam dolor
Abripere tanti? Potuit & medicus nihil,
Nihil parentes? *Fratris* aduentus nihil
Iuuare poterat? dura, & infelix dies:
Cœlumné solus *Mars* habuit? Omnis simul
Moriente *Phœbe*, stella deseruit polum?
Sed quid querelis, quid diem questu tero?
Vel quid moramur, lumine extincto, amplius?
Vitam tenébris ducimus, moritur dies,
Perpetua nox est, rursus antiquum *Chaos*

Videre

Videre videor, omnia infando & gravi
Peritura fato: *Sol*, diem retrò fuga,
Curruſq; in ortum dirige, & nunquam dies
Prætereat iſta, ceſſet extinctum prius
Quàm fuerit Ortum lumen, & vultu tuo
Nunquam fruamur, huius aſpectum modò
Habere liceat: ſed *Deum* fruſtra invoco:
Iam patria luge, cecidit HENRICVS, Patris
Columna, regni ſpes carens omni metu
Fruſtrata morte, quiq; jam vitam omnium
Provt placeret habuit (heu) ſolus cadit.
Veneriſne cepit tela mors? mortis *Venus*?
Hoc credo: Princeps occidit, vivunt tamen
Alij, & ſeniles adjuvant baculo gradus,
Leguntq; tumuli carmen, HIC PRINCEPS IACET.

GVLIELMVS HOLDEN *Ex Æde* CHRISTI.

SPiritus incluſus ſinuoſæ viſcera terræ
Intima conquaſſat: ſic *Stagyrita* doces?
Quàm falſum? jam terra movet, quatiuntur & aſtra,
Obſita perpetuis terra *Britanna* malis.
Eſt cœlum ſine ſole, dies ſine lumine, priſcâ
Luce carent noctes, omnia verſa tremunt:
Cauſa ſed in terris non eſt; ſuper æthera vectus
Spiritus eſt, à quo provenit iſte fragor.

THO. SVTTON, *Reg.*

DVre, pios poten' hic fletus tenuisse? docebunt
Marmora, & exemplar bruta elementa dabunt.
Crescit Aqua in lachrymas. Aër suspiria miscet,
Inq; rogum insolitas præbuit *Aethra* Faceis.
Scissa comam virides Tellus deponit amictus,
Fluctibus & plangit littora mœsta *Thetis*.
Ast eadem hæc inerant tibi dure elementa creato:
Adfectus poterant ipsa docere pios.
Est insensibilis minùs aër, ignis, & vnda,
Terraque. Et hæc nostras condoluere vices.
Impenetrabilius tibi marmore, sæuius est cor
Æquoribus, iam fles. Eugè decebat, homo es.

Ex quo purpureum Terræ decus, aula recepit
Errici in numerum cœlica diam Animam;
Nil nisi dehinc luctus lamentaq; longa reliquit
Ceu testamento percipienda suis.
Quocunq; adspicias, dolor vndiq; planctus & horror,
Pallidus hinc horror, pullus at inde dolor.
Flent lapidesq;, hominesq;, elemẽtaq; cuncta querũtur.
At cœlum, reputat dum sua lucra, silet.

EDOARDVS MYCHELBORN.

QVid mortem HENRICI comitatur fluxus aquarũ?
Scilicet ex lachrymis vnda superba tumet.

Terra perusta olim solem vix pertulit vnum,
Nec mirum, si nunc non ferat illa duos.

Sumptu

SVmptu omni & titulo maiores, non lapis ornat
HENRICI cineres, sed cinis ipse locum:
Ergo tibi? tumulus virtus, tibi fama sepulchrum
Condit, & æternum gloria sarcophagum.

I. ASCHILL. *Art. Ma. C. C. C.*

IN OBITVM *HENRICI* PRINCIPIS SERENISSIMI

Suisq; Natalibus dignissimi.

QVid paruo tegitur (rogas) sepulchro?
Quod totum nequit hoc tenere regnum.

VNdiq; circumstant HENRICI funera planctus,
Et dolor, & lachrymæ; Mœnia mœsta dolent.
Pulpita si spectes, en hæc quoque flere docentur,
Durius & quicquid nostier hic orbis habet.
Solus ego lachrymis non flebo funera iustis?
Defleo: sed lachrymis ponere quæro modum.
Nam quòd deperijt regni spes altera, flebo;
Altera quòd viuat spes, retinebo modum.

ED. BOVGHEN.

IPse Cadauer erit *Princeps*? erit Aula sepulchrum?
An jacet angustâ tanta ruina domo?
Deserit hic Aulam IACOBI nomine Sancti
Dictam, IACOBVM deserit ille Patrem:
Sed retinet *Sanctum*: retinet? mutatur, & Ille
Fit Cœlo *Sanctus*, qui fuit Orbe *Pius*.

ECCLESIA MOERENS AD *Principem mortuum.*

ECce tuum sequitur lachrymis Ecclesia funus,
Nititur & mortis vulnus vt imbre lauet:
Vt commune suo redimat cum vulnere vulnus,
Imbre cadente suas vulneret ipsa genas.

AD PRINCIPEM DIE VENERIS MORTVVM.

EFfectus Veneris, Calor est ac Humor, in illo
Quo moritur *Princeps* extat vterq; die.
Quòd cecidit, nostris apparuit Humor ocellis:
Stella quòd in Cœlo fit, fuit inde Calor.
Temperat humorem *Veneris* calor. Humor ocellis
Mitior est nostris (Stella) Calore tuo.

DIcta dies *Iouis* est præcedens fata, secuta
Saturni, fuit hic Filius, ille Pater;
Filius est *Christus*, Pater est *Deus* optimus, Ille
Te parat ad mortem, cepit in astra *Deus*.

TOBIAS EEDES *Ex Æde Christi.*

COniugium HENRICVS dum sensit inire Sororem,
Non priùs, inquit, eris nupta; statimq; perit.
Nempe satis dignam vxorem eum non tulit orbis,
Sublatum ad superos hunc *Dea Pallas* habet.

IOH. HODSDON *Ædis Christi.*

Descende

DEscende cœlo, & dic age tibia
Regina longum *Melpomene* melos:
Exprome nunc voces acutas,
Nunc lachrymas, tragicosq; cantus:
Quales ab imo pectore candida
Effundit ales flebilibus modis,
Dum tristis ad ripas fluentes
Stat liquidis moritura lymphis;
Iam luctus omnes tangat, & intimis
Stet cura fibris: Occidit, occidit,
Spes omnis, & fortuna nostræ
Gentis, honos, columenq; regni;
Et lachrymarum, flumine prodigo
Non mœsta flentûm pectora mergimus?
Nosterq; cum sit fractus *Orbis*,
Impauidos ferient ruinæ?
Tristes *Britanni* mittere nuntios
Discant dolendos: Audiat, audiat,
Terra omnis, auditumq; plangat
Angligenûm sonitum ruinæ.
Qui gurges, aut quæ flumina jam queunt
Dignas recenti funere lachrymas
Fudisse nobis? heu, dolorem
Quis dolor hunc satis explicabit?
Ehcu fugaces quàm citò Principis
Labuntur anni? quàm citò limine
Primo iuuentæ, nos reliquit,
Nestoream meritus senectam?
An forte virtus non meritum mori,
Regna at merentem scandere cœlica
Spreuisse terram jussit vdam,
Et patrium repetisse cœlum?

Sic

Sic est: receptum iam melior domus
Gaudere veris fulsit honoribus,
Virtusq; terris liberato
Ætherea patefecit aula.
Gaudete cœli: vos quoq; numina
Quotcunq; cœlos incolitis pia,
Vos inter HENRICVS recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Tali recepto gaudeat hospite
Cœlestis aulæ curia sanctior;
Auctasq; lætetur cohortes
Conspicuus chorus Angelorum.
Lugete terræ: vos quoq; fanera
Deflete gentes Principis inclyti,
Quascunq; IACOBVS gubernans
Imperio quatit vnus æquo.
Nec non dolores Gallia milite
Deuicta nostro præbeat, & pios
Europa planctus inquieto
Cum gemitu viduata mittat.
Sed conscius me plura vetat pudor,
Paruæq; tantum Musa potens rei:
At vos quibus vena est benigna,
Magna modis celebrate magnis.

CARRVS STOCKWELL *Ex Æde Christi Alumnus.*

In diem Veneris qua Princeps Obiit.

INuida magnanimis cum sit *Venus*, Inuida bellis;
Quid mirum est *Veneris* te cecidisse die.

ROBERTVS PAYNE *Æd. Christi.*

Occidi

OCcidit *Angligenûm* spes sûma, et summa Parentû,
Vivit, et imperium iam tenet ille Patris.
Cœlica regna tenet; quis tanto *Principe* maior?
Hæres IACOBI qui fuit, ille Dei.

H. P. *Coll. Trinitatis.*

ERgò illuc recidit magni spes publica regni,
Nec temerè reparanda fatis?
Vt doctis lachrymis manes recrcentur inulti,
Et miseræ pietatis vndâ?
Nunquid (summe Deus) tam sæua piacula poscis,
Vt miseri iaceant *Britanni*?
Vt spes, et populi tot conspirantia vota
Vnius exequijs lentur?

Quænam hæc luxuria, & diri compendia fati,
Vnâ animâ innumeros ferire?
Sic spatiosa ruunt subductis recta columnis,
Lapsaque se strepitu fatentur.
Sic qui protrito in cœtu cadit, omnibus vnus
Accelerat facilem ruinam:
Sic sic HENRICI, BRITONVM spes vnica, filo
(Heu nimium tenui) pependit.
Quid non sperassent animosi corporis artus?
Formáque vel superis stupenda?
Illinc bellorum, vt *Mauors* metuisset, honori:
Hinc *Veneri* metui se posset.
Heu quoties vota accepit gratissima vulgi
Auspicijs precibúsque mista?
Ille est HENRICVS felicis nominis hæres,
Indolis, et Genij potentis;

Viribus, hostili gladio, triplicique coronæ
Quadruplici minitans Leone.
Illum expectemus (si fas præuertere fata)
Herculeis reducem Trophæis.
Sic nos spectabit, sic nos spectabimus illum
Lætitiâ remeante vtrinque.
Nunc heu deiecti, miscent suspiria planctu,
Nec cupiunt superesse votis.
Fatum appellantes, huic vt quos abstulit annos,
Temporibus numeret paternis.
Vt qui præpropere Antilochum videre iacentem,
Nestora suspiciant parentem.

GVILIELMVS COVCHMAN,
in Art. ex Æde Christi.

Henricus Fredericus Stuartus
Walliæ Princeps.

Per Anagrammatismum.

Heu nunc surculus, salus patriæ, ferri decus periit.

SVrCulVs, heû, periit Magnâ De st Irpe IACOBI,
Ille *Salus patriæ*, spes fuit ille suæ.
Armorum *ferrique decus*, pacisque columna,
Ecce quot hoc vnum funera funus habet!

INsula subde caput ponto: circumfluus humor
Vix satis in lachrymas, quas petit vrna, tuas.
Vrna petit lachrymas plures, quàm flumina fundunt?
Quàm fontes *Britonûm?* quid latet intus! honor.

Intus

Intus amor patriæ, *Princeps*, divulsus ab orbe
Nostro; Cœlicolùm dignior ille choris.

G. B. *Reginensis.*

ERgò vno in tumulo mundi flos? gloria regni?
Gentis spes? rutilans concidit orbis honos?
Ecce iacet Princeps, quantum mutatur ab illo?
Nec timet HENRICI iam lapis iste minas.
Opprimitis iuvenem sed quorsum fata? putatis
HENRICVM vinci non potuisse virum.

GVLIELM: LEWES, *Art. Mag.*
E Colleg. Oriel. socius.

De Domo Sancti IACOBI, *in quâ mortuus est.*

ET Pater, & domus hæc vocitantur nomine eodē:
Sed quàm dissimiles hic vir, & illa domus!
Alter principium vitæ fuit, altera lethi:
Esse tuum dedit hic, hæc rapit esse tuum.

De morbo Principis.

Et febrem moriens, & zelum vivus habebas:
Conveniens vitæ mors fuit illa tuæ.

Quod sine felle extiterit.

Iure quidem suavis meruisti, & dulcis haberi:
Cui nihil in toto pectore fellis erat.

IOANNES GRENT.
Nov. Coll. Socius.

DIcitur hic morbus novus, atque incognitus esse,
Quo tua supremo reddita vita polo est.
Credo equidem, non nam crudelis cognitus vnquam,
Qui potuit talem surripuisse, fuit.
Pestis in hebdomadâ quæ millia strauerat vnâ,
Sæviit: at quanto sævior iste fuit?
I, sequere imperium, juvenis, te Principe dignum;
Graecia Alexandrum non latis ampla capit.
Fallor? an huic ideo data sunt cœlestia regna?
Ampla parum HENRICO terra *Britanna* suo est.

IOHES HALSWELL Iurista,
Nov. Coll. socius.

NVbibus abscondit radiantia lumina *Phœbus*,
Et maneant tremulis sydera fixa polis?
Ipsa reformidet properam natura ruinam,
Terræque antiquum credat adesse *Chaos*.
Terrarum *Phœbus* primo defecit in ortu,
Et regni Genium dira ruina rapit.
Occidit HENRICVS robur iuvenile parentum,
Occidit *Anglorum* spes, patriæque salus.
Et quem sors melior legi præfecerat omni,
Tristi *Parcarum* lege peremptus obit.
O multùm dilecte Deo! qui fata suprema
Vidisti iuvenis, dùmque oreris moreris!
Quis tua plorabit lachrymoso funera planctu?
Aut solvet tumulo digna tributa tuo?

ROBERTVS KING,
Ædis Christi.

QVàm frustrà medici nostrâ vixistis in vrbe?
Vos ferre ægroto non potuistis opem?
Vulgares medici vulgaria corpora sanent;
Vt te sanares pharmaca *Apelle* daret.
Non te communis iunxit connexio: vena
Non tua plebeio more locata fuit.
Cùm tam diuinum *Parca* exuxêre cruorem,
Credo equidem nectar defuit omne *Deis*.
Num statuam erigitis? *Saturnus* (credo) vorabit,
In dubio num sit *Iuppiter*, anne lapis.
Fragranti imbuitis pretiosum corpus odore,
Maior vt à tacto corpore fiat odor.

RICHARDVS MADDOCKE,
Ædis Christi.

In Principem tam immaturè ademptum.

TAm breue quòd vitæ spatium Natura dedisset
Non miror: miror non minùs esse breue.
Scilicet egit opus quod se superabat; et ergo
Dum piget, infectum reddere vellet opus.

RI. ORME, *Ædis Christi.*

Anagram.

{HENRICVS STVARTVS, IACOBI *filius.*}
{*Sublatus fuit à terris; in hoc vici.*}

HENRICVM oderunt Satanas, Papa, Mundus: at ille
Semper ab hisce (Deus te duce) tutus erat.

Quòd [illegible] ad
Ringum[illegible] (astra,
Omnes [illegible], Mundum, Satanamq; Pa-
Quorum ad cœlestes non venit ira domos. (pamq;

A. WARTHER, *Aula Mag. Coll. Magd.*

OCcidis, ô Currûs auriga future paterni;
Occidis, ô æui fama decusq; tui:
Phœbe pater, Rex magne tuos tamen exue luctus,
Non adeo est rebus sors inimica tuis:
Carolus emicuit; stellatum, *Carole*, plaustrum
Mitte, potes' curru splendidiore frui:
Carole, cui triplicis regni debetur habena,
Semper in hoc vestrum fulgeat orbe iubar.

THOMAS LAKE, Armig. ex *Aula Cerninâ.*

SPlendentem video Boreali parte *Coronam*,
Stellaq; non illa purior vlla micat:
Magne Deus (quia sic placuit, quia fata vocabant,
Præsentiq; vetant principis ore frui)
Magne Deus, circum caput hoc non apta sederet?
Non concinna foret? non speciosa foret?

ARTHURVS LAKE, *Equit. filius ex Aula Cerninâ.*

HENRICVS FREDERICVS.

Virens hic fide currus.

OMnem crede diem tibi diluxisse supremum, Βασιλικὸν δῶρον. *lib.* 1.
Sic didici doctum te doquisse patrem.
Ergo *Virens*, lustris non hic quater vsq; peractis,
(Iuxta anagramma tuum) *Currus* ad astra *fide*.
Et scalam ascendis sacram, quam fecit *Iacob*,
Angelus ascendens Tu mihi primus eris.

OCcidit HENRICVS *Princeps?* occidit & *Anglos*,
Infelix sine quo nirbia relicta sumus.
Hic est quo sceptrum niti debebat auitum,
Spes nuper patriæ, spes quoq; prima patris.

IOHANNES DAGGE, *Art. & Mag. Coll. Magdalenensis socius.*

TE potuisse mori, miratur nemo: sed illud,
Hoc te mirabar tempore velle mori:
Cùm nostras *Rheni* dominator, venit in oras;
Elector sacri Nobilis Imperij.
Cùm celebranda forent Sponsalia sacra Sororis,
Cùm fueras Regno nubilis, illa Viro.
Scilicet in Cœlo tibi sacra palatia pandis,
Electus summi nunc Comes Imperij.
Scilicet in cœlo celebras sponsalia, regnas:
Hoc te mirarer tempore nolle mori.

SIMON BIRCKBECK, *Socius Colleg. Regina.*

Non

NOn tibi marmoreum tumulum, nec saxea busta
Ponimus: hæc onerant Corpus, at ille tegit;
Ast tua, quæ totum compleuit, gloria, mundum,
Nec fuit apta premi, nec fuit apta regi:
Scandit ad æthereas sedes, nec marmore claudi
Nec saxo poterat gloria tanta premi.
Ergo leuis tumulus, leuior sit Versus, & iste
Nec tua celabit facta, nec ossa premet.

TH. SANDERS: *Reginens.*

TE, terræ hæredē scio (Magne IACOBE) *Britannæ*,
Et terram, hæredem suspicor esse tuam.
Hic fuit HENRICVS tuus, & frons, ora, capilli,
Singula clamabant membra fuisse tuum.
Nunc (heu) Fortunâ sic dispensante, sepulchrum
Non falsis clamat vocibus, Hæc mea sunt.

GVLIELM: BENET, *Ex Æde Christi, Generos.*

ANglia iam veteri non gaudet nomine. Terra
Dicitur infelix: ἄθλιον esse nequit.
Iam tenebræ, & miseri complērunt omnia luctus;
Quàm verè à tenebris *Scotia* nomen habes?

CEssērunt *Parcæ Musis*, vitamque sorores
Quam tres surripiunt, restituere nouem.

ROGERVS TROSSE, *ex Æde Christi.*

Frustra

FRustrà ergò vano populi iactantur in ore,
De te olim vates quæ cecinere pij:
Te fore, qui rigidas penetrares victor ad *Alpes*,
Ferresq; *Ausonijs* arma tremenda viris.
Te fore, qui, Vindex Sanctorum, perdere posses
Romuleâ quondam mœnia structa manu.
Da veniam fassis; Non hæc prædixit aruspex,
Non doctus, pecudum dum stupet exta, magus.
Exta tuæ fuerant virtutes, spes erat augur,
Et vates de te subditus omnis erat.
Heu solus vetus vates, qui dixerat olim:
Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

I. H. *Iohannensis.*

Carmen consolatorium.

OCcidit HENRICVS, cecidit spes vna (IACOBE),
Vnica non cecidit, spes tibi bina fuit.
En rediuiua tibi tenerâ spes surgit in herbâ,
Spes licèt in terrâ prima sepulta iacet.

ANTONIVS CLOPTON, *Artium Bacc.*
Col. C. C.

QVæ fuerant quondam sæuissima vota *Neronis*,
Romulidum populo minantis,
Omnibus vt fuerit vita vna, atq; vnica ceruix,
Quam rabie resecaret vnâ:

Hæc fuit HENRICVS nobis, vita vna Britannis,
Et patriæ bonitatis Hæres,
In quem potuerunt lethum, fatumq; malignum;
Quòd *Neo* non potuit rogare:
Et superest vnum tristes lugere Camœnas
Quòd celeres voluere *Parcæ*.

MAR. PICKERING.
Ædis Christi.

VNa dei norma est rerum suprema voluntas,
Causarum causa est vltima, velle dei.
Hæc tantùm immenso par est medicina dolori,
Altera quo facta est Anglia nostra Rachel.

MORVS FORTVNE, *e Coll: Iesu*
Art. Mag.

NEmo magis [illegible] perpetuis te, [illegible];
Nec magis [illegible] debitor alter erat.
Sæpe Pater dixit, Debes mihi, Nate, nepotes:
Sæpe mihi teneram, mater amica, nurum.
Debueras patriæq; patrem, Musisq; Patronum,
Regales sceptris debuerasq; manus.
Et sacra relligio te defensore vigere
Debuit, & miles te duce bella sequi.
Ast vni sua naturæ dùm debita soluis,
Cætera ne soluas debita, Parca vetat.

SAMVEL FRERE, *e Art. Mag.*
Nouo Coll. Sociorum.

ANglia nunc nusquã est: intra Neptunus & extra est;
Nos homines, pisces, obruta turba mari.
Nunc verè gens orbe sumus diuisa Britanni,
Morte quòd vnius mergitur orbis amor.
Quo dempto, terram vlteriùs quasi pœnitet esse,
Tota vndat lachrymis Insula, vt Oceanus.
Mergimur heu vastis lachrymarum fluctibus; omnes
Mergimur, & fractos obstruit vnda sonos.
Solum (HENRICE) tuis, vt mœsti in funera cygni,
Manibus extremum hoc dicimus, & morimur.
Te viuo HENRICOS omnes te viuere in vno,
HENRICOS omnes te moriente mori.

SAM. WILSON, à Coll. Ænig. Nas. Art. Magist.

DVm roseas laniata comas mea Musa querelas
Fundit, & ad superos irrita vota facit,
Suggeritur mihi spissa seges; luctuq; soluta
Mens gemit, & lachrymis crebrior vnda fluit.
Nec mihi Stentoreo tumeant si guttura flatu,
Ingeminent querulos pectora mœsta sonos;
Ergo volubilibus Rhamnusia vecta quadrigis,
Regia Pyramidum culmina, sæua petit?
Occidit infelix primâ lanugine princeps,
Atq; leues cineres vrnula parua capit.
Angligenûm florem teneris decerpsit in annis
Atropos; heu diræ victima mortis erit?
Tam citò primæuæ defloruit herba iuuentæ?
Tam citò flos vitæ decidit ille tuæ?

 Non

Non vaga tam tenui discursat aranea telâ,
Tam leue nec bombyx pendulus vrget opus.
Nos gemitus, pia thura damus, nos Carmina busto
(O vtinam fato dexteriore!) damus.
Molis corporeæ partem tenet hospita terra,
Spirat ac argutâ picta tabella manu.
Parsq; fui melior, superas transuecta per auras
Viuet, *Apellaeum* cùm morietur opus.

HVG. RAMADEN.

VIuere cornices cùm tot dicantur in annos,
Die mihi cur Phœnix tam citò noster obit?
Cornix morte perit, Phœnix moriendo resurgit;
Viuit enim cœlo spiritus, orbe decus.

MICH: GLYD:
Æd. Christ.

LVx terræ postquam terris decessit ELIZA,
Communes patriæ luctus planctusq; relinquens,
Maius ab Arctois effulsit proximus eris
Lumen Horizontem repleuit fulgore *Britannum*,
Cui ne deficeret lumen, erta lumina iunxit
Iupiter, ad nostri solatia Climatis orta:
HENRICVM adiunxit primum cui fulgor, & ardor
Tantus erat felix vt iam speraverit *Anglus*
Imperium æternum, quod (si modò fata dedissent)
Vel dederat solus, vel solus nemo dedisset.
Sed tantum terris decus inuidêre *Britannis*

Crudeles

Crudeles nimium Parcæ: nec forma, nec Artes,
Nec sanguis, nec florescens post funera virtus,
Lethiferas potuere manus tardare Sororum,
Quod lugere satis non possit nostra *Thalia*:
Nec tantum possit lachrymis æquare dolorem
Si modò sufficerent gemitus, si fluminis instar
Defluerent lachrymæ: nam spes et gloria regni
Quum cecidit Princeps, cecidisse videntur in vno.
Solamen tamen hoc, quòd lumina bina supersunt,
Elisabetha decor sexus, et *Carolus* æni:
Illa *Palatino Comiti* socianda, *Britannis*
Aspectus fortuitatos promittit: at ille
Tanta vouet nobis, et eam felicia regna,
Vt post fraternos manes, cineresque sepultos
Vna reuiuiscat, spes vna quiescat in vno.

GV: CROSSE,
ex Aula B. Mariæ.

ERgò ruunt cœli? tempusque, diesque recedunt?
Inque suum retrò voluitur vnda caput?
Numen vbi est? vbi *Dij*? vel si sint numina, *Dijque*,
Cur claudunt oculos Orbe ruente suos?

T. B.
Coll. Trin.

DVm planctum *Angliadum*, desolatosque Penates,
Mœstaque *Brutigenum* pectora mente colo,
Dum gemitus repeto, et passos sine lege capillos,
Tristiaque imbriferis ora rigata genis:

Flere iuvat, sed flere parum est: nec sufficit humor,
Vt mea sic tanto digna querela viro.
Flere iuvat, sed flere nefas: ne funera flendo
Innuat exiguum lachryma fusa malum.
At benoviderunt pereuntem nubila Brumæ,
Vt lachrymas iungant tempora mœsta suas;
Tempora proh mirium verè autumnalia nobis,
Queis cecidit *Flora* gloria prima *Dea*.
Ergò tuos lachrymosa sinus Natura relaxes:
Flebilibusque *Hyadas* provocet Auster aquis.
Inque *Caledonios*, *Aquilonigenasque Britannos*
Quæ regis à gelido Parrhasis vrsa polo:
Tuque parentales diffundas *Cambris* fletus:
Saxea montosis quæ colis arvariugis.
Noster in occiduis Phœbus se condidit vmbris,
Cum nondum mediâ parte peregit iter:
Phœbus enim, lævem sumpsit si in terga pharetram:
Si tetigit cytharam pollice, Phœbus erat:
Sic crines, sic ille chelyn, sic arma ferebat:
Sic mœsta Aonijs pectora soluit aquis.
Dicite Pegasides, qui nostis, dicite Vates,
Si non et Phœbo, numine maior erat.
Noster et Ascanius, chari pia cura parentis,
Mutauit regnis regna paterna novis.
Nam fuit Ascanius nobis, cùm in montibus apros,
Cum premeret pavidas læta per arva feras.
Ascanius fuit, & nostræ spes altera Romæ,
Qui fera Sancticolæ tunderet arma Papæ.
Dic Cytherea (pudor nec sit tibi vera fateri)
Si non Ascanio pulchrior ille tuo.
Pulcher erat, iuvenilis erat: sed nescia vinci
Et formam et vires tristia fata premunt.

Tan-

Tantum hoc Roma graui lucrata est funere, Diuis,
Quem prece, quem votis invocet, alter erit.

G. HIGGS.

O Quàm superbâ *Parca* crudelis manu
Vitale filum ducit, & ductum secat!
Nec nota virtus, nec sacrum superis genus,
Aetasque, & alto debitum imperio caput
Volucrem propinquæ mortis auertit gradum.
Pollentis ecce patris egregius puer,
Magnanimus heros, columen & patriæ decus,
(Nunc & parentum verus, & patriæ dolor)
Populi triumphos vertit in luctus sui.
Inane magni spiritûs corpus iacet.
Nunc ô dolores, semper insuaues *Dei*,
Ieiuna linquite antra, desertas domos;
Vos ciuitas, vos curia invitat frequens,
Lachrymasque comites: ictibus vestris sinus,
Dant et notandas vngue neglecto genas.
Quid plura vultis? plura si dabitis, date;
Tristemque pompam funus instinctu ferat
Vestro, nec atrâ careat hic notâ dies.
Hunc facite, cui nec Principem tellus patem
Sperauit vlla, nostra nec merita est frui.

THO: GALL, *Mertonensis*.

VOs, Sol *Britanne*, *Cynthia*, et stellæ leues,
Quid ora tenebris, nubibusque involuitis?
Genæq; pallent luridum? sensi modò;
Supremum vt ille lucidi princeps chori

Refulsit

Refulsit orbi, picea nox diem abstulit,
Caligo densa *Britannicum* obtexit polum,
Sol latuit vmbrâ: pullus hinc numerum suum
Reposcit Aether. *Cynthia* Astrorum è grege
Requirit vnum, et Astra se imminui stupent.
Heu quantus vno perijt extincto nitor?
Dolor vndique ingens, Naenia et planctus sonant.
Totam ruina regiam invadit domum,
Sepelitque Diuus inobrutam patriam Cinis?
Sed frustra adhuc quid querimur, ah pij impiè?
Iuuenile rapidâ stamen abruptum manu?
Cui gratulemur potius hoc ipsum mori?
Citius merentem Fata transcribunt polo
Secli inquinatioris exemptum lui,
Coeli repertis gaudet & fruitur bonis,
Mixtusque Diuis purpuratum hic Aulicum,
Et Curialem agit, et *Palatinum* nouum.
Quid frustrà adhuc, quid querimur, ah pij impiè?
Iam *Sol Britannus, Cynthia*, et parua faces,
Quid invidetis amplius mundo diem?
Vibrante radij vi leues prorumpite,
Lucete noster quamdiu stabit Polus,
Vicibusque gratis lumen alternum date.

LAVR: HVMFREDVS, *Magd.*

Ad Walliam.

SI sol decedens crescentes duplicat vmbras,
O quanta est montes vmbra sequuta tuos!

IO: TAILOR, *ex Coll. Oriall.*

HEi mihi! quàm mallem documento ex hoste petito
Quàm fragilis vitæ sors didicisse meæ:
Tu tamen hoc prohibes, & quem viuendo docebas,
Hunc cupis exequijs instituisse tuis:
Et didici: & doleo non tam mea pendula fata,
Quàm quòd morte tuâ tu documenta dares:
Anticipansq; tuos saturos ætate parentes,
Vnus ijs fieres & decus atque dolor:
Hoc tamen in medijs recreat mœrotibus ægra
Pectora, (quis credet?) te cecidisse senem.
Non leuis in multos productus spiritus annos,
Sêclave te faciunt *Nestoriana* senem;
Sed bonitas, sed casti amor virtutis, in herbâ
Maturum fatis te tribuere senem:
Ergo senex valeas, simili te morte sequamur,
Cum fecit similes nos tibi vita senes.

ACCIP. FREWEN *in Art. Mag. Coll. Mag.*

QVodlibet ad formam capitur capientis; & inde
Non magnum, aut multum, vascula parua tenent.
Frustra ergo aggredior tantillus dicere tantum,
De quo qui dicit plurima, plura tacet.

GVLIELMVS WALERVS *Armiger, ex Aul. Cerv.*

SI mea cum precibus valuissent vota *Britannis*,
Non tanti luctus talis origo foret:
Sed quia *Parcarum* verat inuiolabilis ordo,
Atque obstant votis inuida fata meis:
Fas sit perpetuas oculis expromere guttas,
Et scateant lachrymæ more fluentis aquæ.

ANgliaci cecidit decus, & spes vnica, regni;
Anglica præsidio gens jacet orba suo;
Papa caput tollit, ducit Iesuita triumphos,
Humectat madidas *anglia* sola genas:
Sperata infesti comitantur gaudia luctus,
Cum claro vt nubes jungitur atra die:
Quæ voluit ceciniſſe nouo sponsalia versu,
Cogitur (heu) mœstos edere Musa sonos.
Quàm male conueniunt nostris sua nomina rebus?
Olbion, *infelix*; *Albion* ipsa *nigra* est.

HENRICVS SADLER, *C.C.C.*
Alumnus.

TOrua quid infrendet *Lachesis*? quid tela minatur,
Scindat vt æternâ stamina digna colo?
Heu video errorem, dum famam & Principis illa
Virtutes numerat, credidit esse senem.

MATTHEVS ANDERTON *in LL. Bacchal.*
& Coll. Omn. Animarum.

Tur-

TVrcarum, *Romæq;* tremor, spes sola *Britannûm*,
Heros illustris, te pereunte, cadunt.
Inque duas partes diuisa est *Scala Iacobi*,
Vna solum tangit, tangit & vna polum.
Ne posthàc *Angli* metuant ascendere cœlos,
Archanglus facilem præbuit iste viam.

SAMVEL SMITH *in Art. Mag. & Coll. Magd.*

QVicunque siccis præteris Tumulum hunc genis,
Nulli gemendus morere, sit semper tibi
Spectandus horror mortis, & Furiæ, & faces:
Etenim qui amico, filio, & charo patre
Magis est colendus tegitur hoc cippo cinis,
Quem si vel ipse Momus adspiciat, satis,
Quod inuidebit, viderit; nil quod notet.

GVLIELMVS NICOLSON *Magdalenens.*

HENRICVS-FREDERICVS erat duplex tibi nomen,
O vtinam duplex sic tibi vita foret.

FLos nostri Autumno perijt suauissimus horti,
Autumno flores nempè perire solent:
At nondum maturus erat, cui Messis in herbâ;
Nondum maturus corpore, mente fuit.

GV. BODVRDA *ex Aula Cervina Bacc.*

EN cecidit (duri quanta inclementia fati?)
Princeps, *Arctoi* qui decus orbis erat.
Cui dum submittunt montosa cacumina *Cambri*;
Despexit colles, *Roma* superba, tuos.
Nec tamen his contentus erat; super astra relatus,
Vltrà sydereos emicat ille polos.

Apostrophe ad Serenissimum Regem.

MAgne *Pater patriæ* (poterit si dicere leges
Flendj, qui fletum non regit ipse suum,)
Quanquam iusta tibi præbetur causa doloris;
Tu tamen inuidiam quod magis vrat, habes.
Egregij quamvis nati pater esse negaris,
At Patriæ meritò diceris esse Pater:
Nec tam triste, Pater quod nati desinis esse:
Quam lœtum, patriæ te superesse patrem.

CAROLVS HERBERT
Novi Coll.

NOn ego me annumero sacris, HENRICE, Poetis,
Infans Musa mea est, nec bene docta loqui.
Ast infans lugere potest, lugebit & illa,
Et flebit madidis funera mœsta genis:
Hac in re sacris ausim certare Poetis,
Sic docto infantem quid vetat esse patrem?

IOAN. MARKHAM *Armiger,*
Ex Aula Cervina.

NE stupeant oculi, tumulo (Spectator) in isto;
Ille meos cineres continet, ille tuos.
Quis jacet hic rogitas? isto jacet ille sepulchro,
Qui Dominus, Princeps, qui tibi vita fuit:
In commune juvat, socias extendere curas;
Vnius haud cineres Principis vrna tenet.
Densa catenato, properant mala fata dolore,
Mole sub hac lapidum, mortua turba jacet:
Hic jacet Is quondam noster (vox improba quondam)
Ah Fortuna ferox hoc habuisse, fuit.
O vtinam nusquàm meus, aut meus vsq; fuisset.
Quæ bona prætereunt, sunt grauiora malis.
Quid sibi sic ludos fecit Fortuna, jocosque,
Vt bona quæ dederat sic rapuisse juvet?
Sit dolor hic noster, fiat dolor iste perennis,
Cætera nil secum fata doloris habent.
Non magis hic quenquam fas est, lugere, minúsve
Omnibus æqua sui causa doloris erit.
Viuet adhuc Princeps, viuaci marmore viuet,
Nec disiecta cadent pondere saxa suo:
At nec nos lapides miseri, nec marmor habemus,
Ingenij tantum prodiga turba sumus:
Novimus ærumnas graviores voce levare,
Marmore at vlterior iusta querela manet.
Ergò juvat tantùm mœstas fudisse querelas?
Qui fluit in lachrymis, est levis ille dolor:
At postquàm, tanto, quæ concipienda dolore
Diximus, est aliquid flendo levare malum.

THO. GOFFE, *Ædis Christi Alumnus.*

CVm ſubeant animum tua verba, & vultus, (imago
Nam tua nunc hæret pectore fixa meo)
Intus pugna mihi eſt, intus civilia bella,
Defunctum, an vivum te reat (orbis honos.)
Quam vellem, ſomnum licet *Endymionis* haberes,
Cernendi reducem ſpes mihi parva foret;
Nunc tamen ex oculis nunquam rediturus abiſti,
At ſedem primam in pectore primus habes.
Hoc reliquum: ſupereſt pro Principe luctus, vt olim
Princeps, ſic charus nunc mihi luctus erit.

TN. MORGAN, *Ex Æde* CHRIST. *Armig.*

QVo nihil in terrâ viguit felicius vno,
Tam citò cur, *Princeps*, cœlica tecta petis?
Scilicet illud erat; *Numero Deus impare gaudet*,
Tu *numeri*, Princeps, *imparis* inſtar eras:
Seu quia te *numerus* concludebatur in vno,
Seu quòd in innumeris *par* tibi nemo fuit.

IOANNES FIELD, *è Coll. Trinitatis.*

ACcipe quos poſcis lugubres, patria, fletus:
Pro te jam fierem lachryma totus ego.
Optarem pro te geminos mea lumina fontes,
Vnde mihi lachrymæ fluminis inſtar eant.
HENRICVS perijt, perijt ſpes dulcis in illo,
Spes ſola inviſo Diua relicta ſolo.
CAROLE ſpem noſtro fugientem ex orbe morare,
In te ſit patriæ ſpes rediviva tuæ.

IOAN. BALL, *Novi Coll. Socius.*

Hoccine

HOccine *vos dixisse Deos*, qui sceptra tenetis?
Credideram Reges vix potuisse mori.
Regibus hoc dictum est? tibi Princeps Maxime; quidni?
Sceptra etenim tantùm non tenuisse parum est.
Ergò tu populum, quasi sors hæc Dijs quoque, sortem
Mortalem speras credere velle tuam?
Scilicet indignos nôras te Rege *Britannos*,
Hinc, Deus vt maneas, cœlica regna capis.

Eugè novum Astrologi quæratis in æthere sydus;
E terris (Mirum!) stella recepta Polo est.
Quem Plaga non poterat *Britonum* tenuisse, Cometa
Nescio quid Mundo Grande minatus obit.
Qui nisi Sphærarum fixus jam fulgeat Orbi,
Credite vix Illum posse tenere Polum.

NIC. BAILY *Art. Baccal. C. C. C.*

IN luctus miseranda tuos haud sola liquèsces
Anglia, sed lachrymis est comes vna tuis.
En tibi cognato juncta est *Germania* planctu,
Vnus amor terris, vnus vtrique dolor.
Quas audit nostras *Isis* resonare querelas,
Audiat ad ripas *Rhenus* & ipse suas.
Spem tamen haud vereor totam jacuisse sepultam,
Dum vivas populo (CAROLE clare) tuo.

IOH. SCHERMARIVS *Germanus*, *Colleg. Exon.*

FIo tuâ (illustris Princeps) in morte Poeta,
O vtinam mortis nuncius esset idem.

CHRISTOPH. TESDAL, *Novi Coll.*

SEptimus vt quondam florem jungebat vtrumque
HENRICVS, niveam purpureámque rosam,
Omine in hoc tum regna duo, speravimus at nos,
Quatuor in Nono jungere posse rosas.

I. P. *Ex Aula Magdalenensi.*

SEu fueras pacis studijs, seu deditus armis,
Me dederam auspicijs, & mea cuncta tuis.

Βασιλικὸν Δῶρον.

DOnavit *Nato* donum Regale IACOBVS.
Et dedit HENRICO Regia dona *Deus*.
Rex mores artésque dabat, tria Regna daturus.
Sed quod promisit *Rex*, dedit ecce *Deus*.

GVIL. CROVE, *Bacc. in Artibus*
Ex Æd. CHRISTI.

CArminibus satis est illi incæpisse duobus,
Cujus quæ supereſt, vita futura dolor.

IO. BOLNEY, *Exon. Coll.*

Chronogrammata in obitum clariſſimi noſtri Principis HEINRICI.

Heinricus Fredericus.

TOt vixit noſter Princeps clariſſimus annos,
Quot numeres hoc in nomine litterulas.

ANnus cui vitæ decimus nonus, Decus orbis
HEINRICVS nonus menſe Nouẽbris obit.

OCCVbVIt PrInCeps HeInrICVs CaroLVs
ILLI
SVCCeſſit, DeVs hVnC fratrIs vICe vIVere
sIuIt.

Quod ſit feliciſſimè & dintiſſimè votum

THOMÆ CAREY *Exon.Coll.*

In clariſſimum VValliæ Principem *Anagramma.*

HENRICVS STEVARTVS
Virtus curat enſes.

DVlce eſt pace frui, *virtus* tamen vtile *curat*.
Enſes, cum quibus hæc bella miniſtret habet.
Quicquid habet nomen, curando repleuerat omen,
Ni tibi Mars quàm Mars venerat enſe prior.

HENRICVS CAREY
Exon.Coll.

Fredericus
Ferri decus.

COnsului nomen; *Ferri decus* esse videbam:
Sed decus hoc Ferri, ferrea fata negant.
Namque vtinam Ferri, Ferri decus omen haberet,
Auferri doleo, Ferri habuisse decus.

THO. CHALONER
Exon. Coll.

VIrtus, verus honor, maiestas, spes, decus, vno
Omnia si possent pectore inesse bona;
Spem, Maiestatem, Virtutes, & Decus, vno
Omnia in HENRICO Principe perdidimus.
Carmina sæpe solent aliquid superaddere vero;
Sed nihil hic carmen, quod superaddat, habet.
HENRICVM qui vult, vult vno nomine dici,
Quicquid laudantis possit abesse viri.

IOAN. HAWLÆYS *Principalis Aulæ Glocestrensis.*

GRatia, forma, genus, nil hæc, nil singula prosunt:
Quàm vellem, si non singula, iuncta iuuent.
Sed neque iuncta iuuant; quis enim cum morte paciscì?
Quisue ferire potest fœdera firma fatis?
Non fœdus feriat; feriet tamen, & feriendo
Corpora, mors sese comprobat esse feram.

Nec

Nec tamen vsque adeo mortem incusasse iuuaret,
Ni regnis essent inuida fata tribus.
Deliciæ humani generis, triplicisque fuisti
Olim hæres regni: nunc FRIDERICE iaces.
Terreno quamuis regno spolieris, in astris
Viuis, & æternùm, *Dine*, beatus eris.

H. MASTER *Aulæ Albanæ Principalis.*

NEc dies luctus releuaret istos,
Quos ego sensi (veluti sagittam)
Cor meum dudum penetrasse mœstum,
Inclyte *Princeps*;
Nec mihi posset superesse viuus
Spiritus, te luce carente nostrâ,
Quam tibi deinceps, nimis ah repentè,
Fata negarunt:
Ni tuus cœlis animus superstes
Cœlitûm summis fruiturus esset
Gaudijs, quæ non tibi denegari
Fata volebant;
Vtque possit pars habitare Olympum,
Quam Deus dignatur honore tali,
Mors tuos multò citiùs, STVARTE,
Occupat artus.

Io. WILKINSON *S. Theol. Bacc. Aulæ Magd. Principalis.*

NOn rediturus eris *Princeps*? spes altera regni,
Delitiæ generis, (dum tibi vita fuit.)
Est adeóne parum regnare, & sceptra potenti
Complecti dextra? nil mouet imperium?
Hæres perpetuus. Nec enim cœlestia mutas
Vilibus, immenso cui diadema polo.

IOAN. TOLSON *Sacræ Theol.*
Bac. Socius Coll. Orial.

OPtice quid dubitas misceri lumina? terra
Ergo age cur Soles non feret vna duos?
Lumine maiori minus absorbetur, & vmbras
Solibus haud plures vnica terra capit.
Ne varijs igitur cœlum ignibus, aut premeretur
Terra vmbris, Soles non feret vna duos.
Optica tu cœca es, tota es delira μάθησις,
Terra Britanna simul lumina bina tulit.
Nec radios vnquam mixtos, nec nouimus vmbras
Densatas, nisi cum mortuus vnus abit.
Nunc tenebræ densæ, miscentur lumina, & vmbris
Sunt vmbræ, face fax, pressaque nocte dies.
Sic ars Naturæ cedit, natura tremendo
Fato, quo (*Princeps*) lucis ocelle cadis.

SAM. RADCLIF *Bacchal.*
S. Theolog. Ænei-nas.

FAs mihi nunc veros animi referare dolores:
Nunc mihi fas superos insimulare *Deos*.

Esse

Esse adeò sæuas nobis, duraſque *Sorores*,
Esse adeò *Angliacis* inuida fata bonis,
An quia iam nimium felices, doximos annos,
Pensantur luctu gaudia nostra suo?
An potius cunctos quæ manſit poena *Britannos*,
Vnius HENRICI morte luenda fuit?
Scilicet, *Altitonans*, seu nos lugere volebat,
Seu luere, inuenit, quo fit vtrumque simul.

THOMAS LOFTVS *Magd. ſacræ Theol. Bacc.*

EX quo Neuſtriacis victor generoſus ab oris
Iura dedit victis incerto Marte Britannis,
Nullus adhuc nobis tantum decus atq; dolorem
Attulerat viuendo decus, moriendo dolorem:
HENRICVS quantum mirandus ab indole *Princeps*
Egregiâ, Britonum ſpes, & pia cura Parentum:
Quem, cum magna fuit viridi iam meſſis in herbâ,
Proh dolor! indignis mors immatura Britannis
Abſtulit: humanis en quæ conſtantia rebus.
Tu tamen interea (dum nos tua funera flentes
Crudeles Parcas, inimicaque fata vocamus)
Felix morte tuâ, cuius non blanda voluptas,
Aulica non peſtis, non flexit gloria ſenſus.
Et quam conſortem thalami tibi terra negauit,
Inuenies cœlo, terras Aſtræa reliquit
Virgo, tuum (ſpes eſt) ea præſtolatur amorem.

IOH. GLANVILLE *è Coll. Bal. Theol. Bacch.*

PRincipis in funus dùm carmina scribere conor,
Mens stupet, & penitùs mortua Musa silet.
Principium modulor metri, sed fine laboro,
Et iam fine fluo, principiumq; deest.
Necdùm cessо tamen; vel paucula Distichа posco,
Sed frustrà incipio, deficioq; simul.
Miror; cum tacitè sic Musa susurrat in aurem,
Stulte, Poetarum non opus istud erit.
Ferre modum nequeunt lachrymæ sine fine fluentes;
Ingens contracto nec dolor ire pede.

NObile conspirant Anglorum euertere Regnum,
Et duplicant vires Mors, Iesuita, suas.
Mors petit auxilium Iesuitæ ad funera tanta,
Et Iesuita iuuat non sine Mortis ope.
Vnum ambo statuunt tempus fatale Nouembris,
Hic quintum, & sextum funeris illa diem.
Mens tamen est impar, sic impar finis vtrique,
Et mors sæua minùs quàm Iesuita furit.
Nam totum hic Regnum cùm tollere maluit, illa
Maluit Hannatovm tollere dimidium.

SIccine te (Rheni Princeps Clarissime) mœrens
Britannia tellus Principis letho excipit?
Sic in lugubres vertuntur gaudia planctus?
Et coniugalis flamma tam subitò perit
Submersa in tristi lachrymarum fonte, vel alto
Suspiriorum turbine in fumos abit?
Hoc vento, his pluuijs video te Rhene tumentem,
Et altiori Thamisin elatam freto.
Cessemus verò vltrius profundere fletus,
Ne rursus alio terra diluuio fluat.

Et

Et tu Rex magnum moderare IACOBE dolorem,
Et ANNA fluctus comprime, & pluuias tuas.
Coniugium sequitur fœcundum, sint omnia fausta;
Discedit vnus, vnus & *Princeps* adest:
Sic tibi Rex, Regina tibi, quo tempore *Natum*
Diuina pietas abstulit, *Generum* dedit.

FRANCISCVS IAMES *Theol. Batch.*
ex Æde Christi.

In obitum Principis.

TE capit alta quies, cœlesti digne quiete
Princeps, at nostro in pectore nulla quies.

In obitum HENRICI *Principis,*
Et futuras nuptias ELIZABETHÆ.

DVm tibi nata Dei consortia fausta parantur,
Nate HENRICE tuo iungeris ipse Deo.

THOMAS BAVON *Æd. Christ.*
Magist. Art.

Ad Lectorem.

INcondita tibi si carmina nostra videntur;
Incondita placent, hoc velit iste dolor.

S. T.

Consolatorium ad Serenissimum Regem Iacobum.

LÆtiùs Henrici cecinisset Musa iugales
Tædas, & sobolem, bella, trophæa, Duces:
Pròh! sed iniqua nimis nobis hæc Fata negarunt,
Et rapimur, *Princeps*, funus ad vsque tuum.
Funere & hoc vno virtus prosternitur omnis,
Quas tenuit veneres Orbis, & vna tenet.
Sed *Rex Magne*, tui dum flemus funera Nati,
Spes sulit, hunc natum quòd pater alter habet.
Nunc gemino fruitur genitore; & summus vterque,
Tu pater in terris; æthere *Ille* pater.
Magnus honor, mundi decus, & genuisse timorem;
Maior honor Natum te genuisse Deo.
Magnus honor Tantum quòd secula læta tulerunt;
Quòd nulla hunc adiment secula, maior honor.
Natus at eripitur? durum, sed mente ferendum
Hoc tamen est placidâ; qui dedit, ille tulit.
Occubuitq; hæres? Christi est tamen ille cohæres;
Terrea deseruit, cœlica regna petit.
Ergo tuos petimus mittas, *Rex Magne*, dolores,
Gaudia cœlestis cum capit ille chori.

Hic

Hic poterat, patri similis, regnasse paterno
In solio, sed nunc regnat in arce poli.
Nos deflere sinas, & nos tabescere curis;
Si te cura premat; nos tua cura sumus.
Hoc nostri meruêre dies, hoc crimina nostra;
Pro populi vitijs vnus, & vnctus obit.
At, *Deus*, vt natum rapuisti flore dierum,
Sic Patri æternos, quæ sumus, adde dies.
Vt Pater in *Pylios*, *Cumæi* viuat in annos
Mater, & hæc proles bina perennis eat.

THOMAS BAVGH *Æd. Christ. Magist. Art.*

EN lachrymas (*Rex magne*) vides in fronte libelli,
Fine vides lachrymas, nos lachrymæq; sumus:
Quis tamen hic furor est guttas aspergere ponto,
Et lachrymas lachrymis accumulare tuis?
Scilicet hoc fatemur, (iusto modò parce dolori)
Non lachrymis nostris vt lachrymere magis:
Quin ergò mœrens lachrymas Academia fundit,
Vt parcas lachrymis, se lachrymante, tuis.

FRANCISCVS IAMES *ex Æde Christ. Theol. Bacch.*

HENRICVS *ad Academiam Oxoniensem.*

NE verò, ne me defunctum Academia luge,
O nimiùm in cineres officiosa meos.
Hospes eram terræ, cœli nunc incola: & hæres
Tunc regni *Angliaci*, nunc comes *Angelici*.
Vixi, non vixi, quoniam mea vita fuit mors:
Nunc viuo, quoniam mors mea vita fuit.
Ne verò, ne te velut orbam Academia plange,
Non mecum est nostri mortua spes generis.
Est super ille meus florentibus integer annis
CAROLVS, est vobis ELISABETHA super.
Exurgent horum de sanguine, post genitorem,
Qui teneat sceptrum, Terra *Britanna*, tuum.

ABRAHAMVS SCVLTETVS,
Illustrissimo Comiti Palatino ad Rhenum, à Sacris.

FINIS.